

# CONCESSIONES,


# B R E V I A,

## ac alia Indulta

## SVMMORVM PONTIFICVM CIVITATI BONONIAE CONCESSA.

In quibus habetur quomodo,& coram quibus Iudicibus, & Tribunalibus in multis causis,& negotijs procedendum,& iudicandum sit, & multa tàm super Statutis,Indultis, & Prouisionibus Ciuitatis Bononiæ,quàm super quampluribus alijs rebus,& diuersis negotijs ad ipsam spectantibus de nouo conceduntur, & respectiuè renouantur, confirmantur, tolluntur, & abrogantur, cum clausulis irritanti,&c. sublata,&c. non obstantibus,&c.





BONONIÆ,

Typis Victorij Benatij Impressoris Cameralis.

M DC XXII.

# INDEX EORVM.

## Quæ in hoc Volumine continentur.





A *Breue*

*INDVLTA*

*INDVLTA in vim Capitulorum, & in forma Motus proprij, ac ex certa scientia, & de Apostolica plenitudinis potestate concessa Ciuitati Bononiæ, & eius Oratoribus per Sanctissimum D. N. P P. Gregorium Decimumquintum, manuq; suæ Sanctitatis firmata sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum Quinto Kalen. Iunij M. DC. XXI. Anno sui Pontificatus Primo.*

*Cap. I.*

*Confirmat statuta, indulta, priuilegia, capitula, ac alia Ciuitatis Bononiæ, ac eius ærarij, & omnia contra continentiam prædictorum facta, & innouata etiam per Legatos à tempore Gregorij Decimitertij citra tollit, & annullat.*

PRimò omni qua decet humilitate, & submissione petunt, & supplicant S. V. vt dignetur omnia Statuta, Capitula, Priuilegia, Decreta, Indulta, litteras Apostolicas, tam sub plumbo, quam in forma Breuis à Romanis Pontificibus S. V. prædecessoribus quocumque tempore concessa, & confirmata in fauorem, & beneficium Ciuitatis vestræ Bonon. Populi, & Communitatis eiusdem, ac illius Ærarij, & præsertim Capitula fel. record. Nicolai Quinti, Pauli Secundi, Iulij Secundi, Leonis Decimi, Pauli Tertij, Pij Quinti, & Gregorij Decimitertij, ac aliorum Romanorum Pontificum Magistratui, siue Regimini, ac Ciuitati concessa iuxta tenorem, & continentiam literarum dd. Romanorum Pontificum, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta forent, quod etiam alij B. V. prædecessores concesserunt, præuia tamen annullatione nonnullorum actorum factorum, & innouatorum per Legatos, aut Vicelegatos pro tempore contra formam, dispositionem, & continentiam dictatum concessionum à tempore Pontificatus Sanctissimi D. Gregorij XIII. citra approbare, confirmare, & innouare in omnibus, & per omnia prout erant in vsu, tempore D. N. Gregorij XIII. Placet A.

*Cap. II.*

*Mandat in causis ciuilibus, & criminalibus seruari taxas legitimè factas, etiam cum spontè dare volentibus, sub pœna excommunicationis.*

ITem, cum circa mercedes Iudicum, Notariorum, & aliorum quorumcunque Officialium Ciuilium, & Criminalium satis abundè olim prouisum fuerit, sed à nonnullis annis citra, auaritia eorum, taxæ deprauatæ, corruptæ, & alteratæ fuerint tam in versantium forum, quam etiam aliorum maximum damnum. Placeat S. V. mandare, ordinareq. quod conuentiones, & taxæ aliàs legitimè factæ, approbatæ, & reformatæ ad vnguem seruentur; nihilq. à quoq; etiam spontè dare volentibus exigatur; sub pœna excommunicationis, consuetudine, vel potius abusu contrarijs sublatis. Placet A.

*Cap. III.*

*Prohibet forensibus acquirere per tria milliaria propè confinia, & confirmat super prædictis statuta, & literas Apostolicas.*

ITem pro manutentione Confinium, & tuitione iurisdictionis S. V. & S. Sedis Apostolicæ, ne forensibus detur materia huiusmodi confines ab aliquibus occupari, aut perturbari permittendi, & Bannitos, ac alios facinorosos præsertim Bellorum, & alijs suspectis temporibus in Comitatu Bonon. introducendi, ac Victualia multa exinde furtim trasportandi, & plura alia illicita in præiudicium dictę Ciuitatis vestrę per-

 petrandi.

petrandi. Dignetur S. V. confirmando literas Apostolicas Iulij Tertij, Pauli Tertij, & Pij Quinti super hoc æditas, necnon, & Statuta de his disponentia ordinare, & mandare, ne intra confines dictæ Ciuitatis, & illius Territorij per tria milliaria forenses, & externi aliqua bona immobilia acquirere, possidere, aut quouis alio modo retinere possint, quibuscunque impedimentis contrarijs prorsus amotis, sublatis, & abrogatis.

Placet A.

*Cap. IV.*

*Mandat seruari statuta Ciuitatis super annullatione Societatis Hospitum, seù Tabernariorum.*

ITem licet per Statuta Bonon. maxima consideratione compilata, & per Summos Pontifices Prædecessores S.V. confirmata, vt in Rubrica de pœna certorum Artificum, &c. maximis rationibus, & causis fuerit prohibitum, ne conuenticulæ, seu Societates nuncupatæ fierent. Nihilominus Hospites, seu Tabernarij à nonnullis superioribus licentiam, & facultatem se congregandi, Statuta Compilandi, ac Societatem formandi extorserunt, & Societatem ipsam errexerunt, & formarunt declinando à iurisdictione eorum Tribunalis antiqui, vulgariter nuncupati, delle Bollette, legitimè facti, & approbati, Placeat S. V. Statuto prædicto inhęrendo, cassare, & annullare prædictam Societatem vna cum omnibus Statutis ab ipsa factis, etiam si à Legato, seu alijs Superioribus confirmata fuerint.

Placet, quod Statuta Ciuitatis seruentur. A.

*Cap. V.*

*Confirmat statuta, prouisiones, & iurisdictionem DD. Assumptorum Gubernij, & Ornatus.*

ITem cum ad cognoscendas, & terminandas causas omnes, & differentias inter Cōmunia Comitatus, ac districtus Bonon. & etiam inter ipsorum Communium Homines occasione collectarum, & onerum, ac partitionum bonorum Communalium, seu aliorum bonorum ad Communitates ipsas spectantium administrationis, aut redditionis rationum exortas pro minori ipsorum dispendio, quinimò pro ipsis subleuandis ab expensis litium, & Procuratorum, ac Sententiarum deputati sint nonnulli officiales, qui Gubernij Comitatus Assumpti nuncupantur. Insuper ad Ciuitatis ornatum manutenendum pariter constituti sint officiales, qui ornatui Ciuitatis Præfecti nuncupantur. Qui omnes prædicti de Magistratu, siue Senatu, & Regimine quorannis eliguntur cum auctoritate, & iurisdictione ipsis, & cuilibet eorum respectiuè Officio, siue Tribunali à Statutis, aut Prouisionibus, & Decreris, etiam Senatus prædicti cum consensu, & voluntate Legati, seu Vicelegati, aut Gubernatoris pro tempore superinde factis, & aditis, vel aliàs quomodolibet concessa, & attributa, supplicant humiliter, vt Placeat S.V. quicquid super prædictis Decretum, & Statutum fuit, seu deinceps perpetuis futuris temporibus statui, & decerni contigerit per Senatum eundem cum consensu, & voluntate Superiorum prædictorum respectiuè pro tempore confirmare, & approbare, & quatenus opus sit de nouo respectiuè concedere, & innouare.

Placet A.

*Mandat*

*Cap. V I.*

*Mandat Edicta, & alias Ordinationes Reuerendæ Cameræ Apostolicæ non comprehendere, nec se extendere ad Ciuitatem Bononiæ, iuxta eius solitam consuetudinem, iura, & literas Apostolicas.*

ITem cum ante Pontificatum Sixti Quinti per quæcumque tempora edicta Proclamata, Conuentiones, Litteræ, Patentes, Capitula, Appaltus, Gabellæ impositiones, & aliæ quæuis ordinationes emanantes à Reuer. Camera Apostolica nullo pacto comprehenderent Ciuitatem vestram Bonon. nec in ea publicarentur; minusve exequutioni mitterentur, etiam quod essent generales ad totum Statum Ecclesiasticum, cum dicta Ciuitas sit solita particularibus ordinibus, & legibus gubernari; & etiã quia per talia edicta, & ordinationes Camerales destruerentur d. Ciuitatis antiquissima priuilegia in vim contractus inita, indeq́. damnum intollerabile fit artibus, & illas exercentibus augentur pretia Mercium, & Statuta, ac inueteratæ consuetudines laudabiles Ciuitatis subuertuntur. Placeat igitur S. V. inherendo concessioni factæ per fel. rec. Paulum Quintum declarare, statuere, & ordinare Appaltus, Impositiones, Capitula, Literas, Patentes, Ædicta, Ordinationes, aut quouis alio nomine nuncupentur à Reuer. Camera Apostolica, & à Camerario, siue Thesaurario, & alijs Ministris emanatura nullatenus ad dictam Ciuitatem se extendant, nec sub illis comprehensam esse, vel comprehendi minimè debere, minusque in ea publicari, aut exerceri possint, aut debeant; Non obstantibus quibuscunque fortè in contrarium factis, aut gestis, aut alijs, quæ præter, vel contra adduci possint; quibus omnibus ex vestri certa scientia, & de potestatis plenitudine derogare placeat Statum, & tenores omnium pro sufficienter expressis haben.

Placet A.

*Cap. V I I.*

*Confirmat constitutiones, & literas Apostolicas Sacri Montis Pietatis super Notarijs, ac alijs Turroni.*

ITem cum ad fauorem Sacri Montis Pietatis ad quem spectat officium Notarij Primarij, & aliorum Notariorum Turroni, etiam titulo emptionis factæ à Reu. Camera extent Constitutiones, & Breuia Summorum Pontificum S. V. Prædecessorum, veluti Pij Quinti, & Gregorij XIII. circa gubernium d. officij. Placeat S. V. prædictas omnes Constitutiones, & Breuia omnia tenores eorum hic pro expressis haben. confirmare, & approbare, & quatenus opus sit de nouo concedere.

Placet A.

*Cap. V I I I.*

*Prohibet posse extrahi frumenta à Territorio Bononiæ, nec licentiam ab aliquo posse dari.*

ITem suppliciter Senatus rogat, quod Frumenta in Comitatu, & Territorio Bonon. nascentia modo aliquo extra ipsum Comitatum, & Territorium conduci non possint, etiam cum licentia, voce, vel in scriptis habita, quæ à quocumque facultatem habente dari non possit, nec debeat, sed in ipsam Ciuitatem omnino suo tempore deferantur, cum decreto irritanti, &c.

Placet A.

# BREVE SANCTISSIMI D.N. D. GREGORII PAPAE XV.

In forma Motus proprij ſuper extinctione Macelli, & Tabernæ in Palatio, cum prohibitione etiam quod Sortes vulgo Lotti, in Ciuitate, Comitatu, vel Diſtrictu non fiant.

## GREGORIVS PAPA XV.



AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Cum, ſicut accepimus, prætextu beneficij militum Capitaneus, ſiue Dux Equitum leuis armaturæ Ciuitatis, & Comitatus noſtrorum Bononien. extraordinarias prætendat exemptiones, & ob id contra formam Bullæ fel. rec. Pij Papæ IIII. prædeceſſoris noſtri prouiſionum, & ordinationum dictæ Ciuitatis prouide factarum, ac in præiudicium Ciuitatis datiorum, ac Societatis Lanionum in aula Palatij exercere faciat macellum, ex quo, vt afferitur, nullum milites conſequuntur beneficium, eo quia oppreſſa iuſtitia ibidem carnes ad libitum Lanionis, & vltra metam à Superioribus vna cum Magiſtratibus quotannis taxatam venduntur; Itemque exercere faciat tabernam, aut hoſpitium in quo ſolùm viles perſonæ malæ qualitatis, & opinionis libidini, ludo, crapulæ, & alijs vitiorum generibus deditæ adunantur, & congregantur. Nos præmiſſis quantũ cum Domino poſſumus obuiare volentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, necnon matura deliberatione noſtris; Quòd de cætero prædicta macellum, & taberna ſolummodo erecta ad commodum vnius, & in præiudicium multorum tollantur, aboleantur, caſſentur, & extinguantur, & in eo loco nunquam perpetuis futuris temporibus à quoquam exerceri poſſint ſub quouis prætextu, ratione, vel cauſa. Inſuper vt militibus, ac Capitaneo opportunè prouideatur, vt loco exemptionis, quam prætendunt, tot pecuniæ ipſis Capitaneo, & militibus quolibet Anno in ſingulis Menſibus diſtributæ dentur, & ſoluantur, quantum importare poteſt datium vigintiquinq; boum, & quadraginta animalium minorũ iuxta tamen taxam Statuti ſuper hoc editi de Anno 1554. & 1571. nec aliquid vltra prædicti Capitaneus, & milites prætendere poſſint quauis ratione, vel cauſa, quodque ad tollen. & euitan. mala, & ſcandala, ac offenſas diuinæ Maieſtatis in ædibus dicti Capitanei non fiat modo aliquo adunatio, & congregatio ad effectum ludendi, nec ibi continuò omnibus ſit ludus paratus, ſed omnino ſit prohibitus. Inſuper ne modo aliquo, aut quouis prætextu, vel cauſa ſortes, quæ vulgo dicuntur Lotti, in dictis Ciuitate, Comitatu, & Diſtrictu Bonon. fiant, vel permittantur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ordinamus. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretan. facultate, & auctoritate vbiq. iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 12. Iunij 1621. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli.

S.Car.S.Suſ.ª

*Die Lunæ 30. Menſis Auguſti 1621. ſupradicta litera Apoſtolica in plena Camera Apoſtol. exhi-*

*exhibita, & præsentata fuerunt, & de ipsius Camera decreto commissa Perillust. & Reuerendiss. D. Lelio Biscia dictæ Cameræ Præsidenti Clerico, & subinde die Lunæ 13. Mensis Septemb. eiusdem Anni Camera ipsa citato prius Adm. Illust. & Reuerendiss. D. Ioanne Benino Sanctiss. D. N. Papæ, & Cameræ Apostol. Generali Commissario referente eidem Reuerendiss. D. Biscia illas admisit, & in eiusd. Cameræ libris registrari mandauit, prout registrata fuerunt lib. 1. Signat. Sanctiss. D. N. D. Gregorij Papæ XV. fol. 177.*

Ioan. Ferrinus R. C. A. Not. &c.

## BREVE SANCTISSIMI D.N.D. GREGORII PAPÆ XV.
In forma Motus proprij circa prouisionem Lignorum, & Straminum Legatorum, & Vicelegatorum respectiuè.

*GREGORIVS PAPA XV.*

AD futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus pro vsu, & seruitio dilectorum filiorum nostrorum, & Sedis Apostolicæ in Ciuitate, & Comitatu nostris Bononien. de Latere Legatorum, eorumq. Vicelegatorum, necnon Gubernatorum pro tempore existentium per literas fel. rec. Gregorij Papæ XIII. prædecessoris nostri in simili forma breuis expeditas, ad tollendos abusus, & euitan. extorsiones fuerit prouisum, vt quolibet Anno modo, & forma in prædictis literis contentis Camera Bononien. solueret eisdem Legatis pro lignis, straminibus, fœnoq. & paleis libras quatuor mille monetæ Bononien. ipsis verò absentibus Vicelegatis, & Gubernatoribus libras bis mille tantum erogandas in rebus prædictis, & his temporibus in pauperrimorum rusticorum damnum, & præiudicium in mercede vecturę multas fraudes fieri, & extorsiones commiti repertum fuerit. Nos præmissis quantum cum Domino possumus obuiare volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, necnon matura deliberatione nostris; Quod de cætero solutis iuxta formam dictarum literarum per Cameram Bononien. & Regimen Legatis libris quatuor mille, & eis absentibus Vicelegatis, & Gubernatoribus bis mille respectiuè, teneantur illi soluere, absq. aliqua exceptione pro vectura lignorum, & straminum, ac aliorum pro eorum vsu emendorum, & intra Ciuitatem vehen. rusticis conductoribus competentem mercedem, quę tamen modo infrascripto pro competenti censeatur, & sit declarata, videlicet intra milliaria decem solidos triginta pro quolibet curru, ab inde verò vsque ad quindecim libras tres, à quindecim verò vsque ad viginti libras quatuor pro curru, & hoc etiam vsque ad summam curruum trecentorum, & non vltra, de conductoribus autem earum rerum ad Senatum spectet, & pertineat prouidere, & vltra dictam summam rustici, coloni, aut alij quouis nomine nuncupati non possint à quoquam quauis auctoritate fungente sub quouis prætextu pro vsu Legatorum, Vicelegatorum, aut Gubernatorum cogi, & compelli ad aliquid aliud vehendum, & conducen. aut pro vectura dandum, & soluen. Apostolica auctoritate tenore præsentium ordinamus, & in reliquis prædictas Gregorij prædecessoris litteras auctoritate, & tenore prædictis approbamus, & confirmamus, illisq. inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 12. Iunij 1621. Pontificatus nostri Anno Primo.

S.Car.S.Suf.ª

Locus ✠ Sigilli.

BREVE

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII XV.

In forma Motus proprij etiam confirmatorium literarum Pauli III. & Iulij III. Rom. Pont. vt super hæreditatibus, seu spolijs Ecclesiasticarum personarum Ciuit. Bonon. Archiepiscopis etiam comprehensis Camera Apostol. nihil prætendere possit, vna cum abolitione Commissarij in eadem Ciuit. cum deputatione Ordinarijin Iudicem competentem in casibus reseruatis.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Aliàs fel. rec. Paulus III. & Iulius etiam III. Romani Pontifices prædecessores nostri, omnibus, & quibuscumque personis Ecclesiast. sæcularibus, & regularibus quomodocumque, & qualitercumque qualificatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus Ciuitatis nostræ Bononien. vt super eorum hæreditatibus, seu spolijs nuncupatis Camera Apostolica nihil prætendere posset, indulserunt, prout in literis Apostol. desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur. Cùm autem sicut accepimus, quandoq. fuerit dubitatum an in prædictis Indultis Archiepiscopi Ecclesiæ Bonon. comprehendantur; Nos Motu proprio, & ex certa scientia, necnon matura deliberatione nostris literas Apostolicas prædictas Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac quatenus opus sit de nouo concedimus, vt Archiepiscopi Ecclesiæ Bonon. pro tempore, & alij Ecclesiastici Prelati, vt supra sub prędictis Indultis comprehendantur, ac ijs potiri, & gaudere, prout alij Clerici de quibus in dictis litteris expresè fit mentio potiuntur, & gaudent, ac potiri, & gaudere debent; quinimo officium Commissarij Spoliorum ex eadem Ciuitate tollimus, & leuamus, & in casibus, in quibus idem Commissarius procedere solet, videlicet illicitæ negotiationis, dispositionis ad fauorem illegitimorum, decessus extra residentiam, & apostasiæ mandamus, vt Ordinarius procedat, idque totum quod extrahetur in vsus pios in Ciuitate Bononien. arbitrio Archiepiscopi pro tempore existentis erogetur, Decernentes sic, & non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 13. Iunij 1621. Pontificatus nostri Anno Primo.

S.Car.S.Suf.[æ]

Locus ✠ Sigilli.

*Die Lunæ 30. Augusti 1621. supradictæ literæ Apostolicæ in plena Camera Apost. exhibitæ, & præsentatæ fuerunt, deq. ipsius Cameræ decreto cõmissæ Perillust. & Reuerendiss. D. Lelio Biscia eiusd. Cameræ Præsidenti Clerico; & subinde die Lunæ 13. Mensis Septemb. eiusd. Anni, Camera citato prius Adm. Illust. & Reuerendiss. D. Ioanne Benino Sanctissimi D.N. Papæ, & Cameræ Apostolicæ Generali Commissario, referente eodem Reuerendiss. D. Biscia; illas admisit, & in eiusd. Cameræ libris registrari mandauit, prout registratæ fuerunt libro primo Signatur. Sanctiss. D.N.D. Gregorij Papæ XV. fol. 178.*

Ioan. Ferrinus R.C.A. Not. &c.

BREVE

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XV. In forma Motus proprij super annullatione, abolitione, & extinctione Tribunalis Annonæ, seu Grasciæ in Ciuitate, & Comitatu Bonon.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus alias per fel.rec.Gregorium Papam XIII. prædecessorem nostrũ, statutum fuerit, vt Commissarius Annonæ Ciuitatis, & Comitatus nostrorum Bonon. tantummodo deputaretur tempore caritatis, isq. eligeretur cum interuentu, & consilio regiminis, & per fel.mem.Paulum Papam V. etiam prædecessorem nostrum, idem officium vna cum eius particulari Tribunali fuerit suppressum, & quia stantibus Magistratibus, & maximè Tribunorum Plebis dignosceretur esse superfluum, istisq. non obstan. ad huc fuerit à tunc existentibus in Ciuitate, & Comitatu prædictis Sedis Apostolicæ de Latere Legatis, seu eorum Vicelegatis pro tempore talis Commissarius, qui Annonæ, seu Grasciæ nuncupatur deputatus cum erectione particularis Tribunalis, & deputatione Notarij substituti, ac Executorum, idq. vergat in apertum præiudicium Magistratuum, & maximè illius Tribunorum Plebis, ad quem vna cum Legatis, vel Vicelegatis prædictis, aut Gubernatoribus pro tempore per ipsosmet, non autem per delegandos ab eis spectat iurisdictio circa ea, quæ ad prædictum officium Annonæ, seu Grasciæ pro necessitatibus, & bono gubernio Ciuitatis, & populi pertinent. Nos Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, Apostolica auctoritate, tenore præsentium decernimus, & declaramus, quod tale officium Commissariatus Annonæ, seu Grasciæ nemini conferatur, sed illud cum Tribunali pro eo erecto, vel quocunque tempore, & à quocunque in Ciuitate, & Comitatu prædictis Sedis Apostolicæ de Latere Legato, seu eius Vicelegato, vel Gubernatore forsan pro tempore erigendo aboleatur, & nullam omnino iurisdictionem, vel iurisdictionis effercitium habeat sublata cuicunq. aliter disponendi facultate; Decernentes etiam irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq. contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 13. Iunij 1621. Pontificatus nostri Anno Primo.

S.Car.S.Suf.ª

Locus ✠ Sigilli.

*Die Lunæ 30. Mensis Augusti 1621. supradicta litera Apostolica in plena Camera Apostol. exhibita, & præsentatæ fuerunt, & deq. ipsius Cameræ decreto cõmissa Perillust. & Reuerendiss. D. Lelio Biscia eiusd. Cameræ Præsidenti Clerico, & subinde die Lunæ 13. Mensis Septemb. eiusdem Anni Camera ipsa citato prius Adm. Illust. & Reuerendiss. D. Ioanne Bemino Sanctiss. D.N. Papæ, & Cameræ prædictæ Generali Commissario referente eodem Reuerendiss. D. Biscia illas admisit, & in eiusd. Cameræ libris registrari mandauit, prout registrata fuerunt lib. 1. Signat. Sanctiss. D.N.D.Gregorij Papæ XV. fol. 179.*

Ioann. Ferrinus R.C.A. Not. &c.

BREVE

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XV.
In forma Motus proprij super confirmatione Constitutionum, & Indultorum, ac aliorum de nouo concessorum ad fauorem Tribunalis Rotæ Bonon.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum in Ciuitate nostra Bononien. erectum fuerit Tribunal Rotæ ad ciuiles causas inter Ciues, & Incolas dictæ Ciuitatis, illiusq. Comitatus, & Districtus, cum eorum maximo beneficio, & commodo cognoscendum particularibus constitutionibus, & ordinationibus factis, & approbatis munitum, & pro totali constitutionum obseruatione per maximum temporis spatium incrementum receperit, & continuauerit, paucis verò ab hinc annis ob maximum numerum Auditorum Sedis Apostol. in Ciuitate, & Comitatu, ac Districtu prædictis de Latere Legatorum, eorumq. Vicelegatorum, ac Gubernatorum, quibus contra formam, & dispositionem constitutionum, & ordinationum à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessarum, & confirmatarum, & signanter à Paulo Papa III. per Superiores causæ præuia auocatione earum à Rota committuntur maximum senserit præiudicium, & damnum, & fere vti inutile remanserit. Nos concessionibus eorundem Pontificum, & constitutionibus Tribunalis factis, & approbatis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus inhærentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris. Omnia, & singula in concessionibus, & constitutionibus prædictis contenta Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, & quatenus opus sit de nouo concedimus, & signanter quod causæ in dicto Tribunali legitime introductæ nunquam auocari possint, & causæ appellationum à quocunq. Legato, Vicelegato, aut alio ordinario Iudice interponen. etiam si ad sanctam Sedem interponantur in secunda, vel alia vlteriori instantia, absq. alia desuper obtinenda commissione ad eandem Rotam, & non alibi deuoluantur, & in ea introduci debeant ad iuxta formam constitutionum huiusmodi cognoscen. deciden. & terminan. Insuper pro manutentione, & conseruatione Tribunalis sic honorificè, & cum maxima totius Ciuitatis, & versantium forum vtilitatem erecti, statuimus, & strictè ordinamus, vt nullus ex Legatorum, aut Vicelegatorum Auditoribus præter Auditorem Generalem ciuilem per se ipsum tantùm possit, aut debeat quouis prætextu, quauisue ratione, etiamsi per partes consensum fuerit in iurisdictionem, causam aliquam audire, terminare, & decidere, nisi ad referendum Legato, vel Vicelegato pro quibus tunc nullum debeatur salarium. Decernentes sic, & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apost. Auditores sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq. contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 14. Iunij 1621. Pontificatus nostri Anno Primo.

S.Car.S.Suf.[a]

Locus ✠ Sigilli.

BREVE

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XV. In forma Motus proprij super confirmatione Statutorum Artificum, cum iurisdictione Illustr.mi D. Vexilliferi Iustitiæ in eos, ac alijs pro bono Gubernio societatum Artium Ciuitatis Bonon. ac manutentione illarum.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum in Ciuitate nostra Bonon. ad Vexilliferum Iustitiæ vna cum Senatu spectet, & pertineat statuta, ac prouisiones, & ordinationes Societatum, siue Collegiorum, & Vniuersitatum Artium Ciuitatis Bononiæ admittere, reformare, & corrigere cum participatione pro tempore existentis in dicta Ciuitate Sedis Apostolicæ de Latere Legati, seu eius Vicelegati, vel Gubernatoris pro bono pacis, & quietis hominum prædictarum societatum, & prout temporum, & personarum qualitas, & natura exiget, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris; Eundem Vexilliferum vtpote de omnibus gubernium, & administrationem ipsarum societatum concernentibus plenè informatum, & tanquam eorum Iudicem ordinarium iuxta solitum omnes, & quascunque causas, lites, & differentias, ac querelas inter societatum, & artium prædictarum homines, aut officiales, vel subditos, aut etiam inter ipsas societates, & artes quomodocunque, & ex quacunque causa earundem societatum occasione nasrituras pro subleuandis ipsis societatibus, & earum hominibus à molestijs, ac dispendijs sententiarum Procuratorum, & scripturarum expensis cognoscere, decidere, ac summariè simpliciter, & sola facti veritate inspecta terminare, aliosq. iudicantes in ciuitate Bonon. quacunque præfulgeant dignitate, ac facultate ordinaria, vel delegata nullo modo, & prætextu contrauentionis statutorum, vel prouisionum, vel exactionis pœnarum propterea incursarum in causis prædictis se intromittere posse, & quicquid per eundem Vexilliferum cum auctoritate superiorum prædictorum pro tempore decretum, statutum, & ordinatum, ac reformatum fuerit circa dictas societates artium, siue aliquam earum regimen, & gubernium, etiam vniendo, & dissoluendo, transferendo, aut quouis alio modo disponendo, perpetuo valere, & validitatem obtinere, nec ab aliquo infringi posse, etiam per viam appellationis, seu alterius cuiusuis reclamationis, & recursus, quodque non possit etiam impediri sub quouis prętextu appellationis recursus, aut melioris reuisionis vigore quarumcunque inhibitionum à quocunque Tribunali, etiam Vrbis emanatarum ad id quod sic fuerit ordinatum, & decretum, sed statim executioni demandari debeat, sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & innane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus, vlteriusq. inhibemus etiam sub pœnis, & censuris in Priuilegijs dictis artibus respectiue concessis eo ipso in casu contrauentionis incurrendis, ne post hac aliquis quauis præfulgeat dignitate, siue Vexillifer sit, siue ipsemet Gubernator, vel etiam Legatus, aut Prolegatus, aut quiuis alius audeat, nec possit præcipere, vel præcipiendo directè, vel indirectè vi, vel metu, aut iussionibus cogere, aut arctare homines cuiusuis dictarum artium, vel eorum Notarios ad cassandum de eorum matriculis, vel addendum, aut acceptandum in eorum societates aliquem, vel alio quouis modo eorum priuilegia, & statuta infringere, sed ad ipsos homines seruata tamen forma eorum statutorum spectare, liberamq. remanere electionem, admissionem, vel repudiationem aggregandi, & obseruantiam eorum statutorum, & priuilegiorum in omnibus, saluo tamen Decreto Senatus in suo robore circa spontaneas cessiones, vel renunciationes, & saluo eo quod per dictum Senatum vna cum Superiore,



vt

vt supra in dies statueretur,& nihilominus omnia præter,vel contra prædicta gesta,vel gerenda vitio nullitatis ipso iure subiacere auctoritate, & tenore prædictis similiter decernimus. Non obstantibus constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis,cæterisq. contrarijs quibuscunque. Dat.Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 14.Iunij 1621. Pontificatus nostri anno primo.

Locus ✠ Sigilli. S.Card.S.Suſ.ᵉ

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XV. In forma Motus proprij super libero transitu Corb. quatuor mille Frumenti è Castro Bonon.in ciuitate, vel comitatu conducen. cum confirmatione literarum Pauli Tertij, & Gregorij XIII. super dicto libero transitu,&c.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & præsertim Paulo III. & Gregorio XIII. per eius literas sub die vigesima Decembris 1583. expeditas concessum,& ordinatum fuerit,& hucusque per longissimum temporis cursum obseruatum, quòd ex Castro Bononiensi, & illius Territorio, quod est de iurisdictione ciuitatis nostræ Bonon. & Præsidentibus, & Thesaurarijs Prouinciæ Romandiolæ nullatenus subiectum, conduci possint ad prædictam ciuitatem singulis annis quatuor mille corbium Frumenti absque aliqua solutione,aut grauamine Thesaurario Romandiolæ pro huiusmodi transitu faciendo,& à nonnullis annis citra sedis Apostolicæ in ciuitate prædicta, illiusque comitatu de latere Legati,seu Præsides Romandiolæ non acquiescentes concessionibus, & indultis huiusmodi singulis annis exegerint,vt specialia mandata super hoc obtinerentur. Motu proprio,& ex certa scientia,ac matura deliberatione nostris, literas eorundem prædecessorum nostrorum Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, & quatenus opus sit, de nouo concedimus,ac ordinamus,& mandamus,vt prædicti Legati, Præsides,& Thesaurarij absque alio speciali desuper obtento ordine, aut mandato in vim prædictarum literarum quotannis transitum pro summa prædicta liberè, & absque vlla exceptione permittant, pro quo tamen Bullettam à Thesaurario Prouinciæ recipere teneantur ob transitum per comitatum Imolensem, qui intermedius est, & Thesaurarius ipse gratis, & absque vlla solutione Bullettam huiusmodi tradere teneatur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat.Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 14. Iunij 1621. Pontificatus nostri anno primo.

Locus ✠ Sigilli. S.Card.S.Suſ.ᵉ

*Die Lunæ 30. Augusti 1621. supradictæ literæ Apostolicæ in plena Camera exhibitæ, & præsentatæ fuerunt, deq. ipsius Cameræ decreto commissæ Perillust. & Reuerendiss.D.Lelio Biscia eiusdem Cameræ Præsidenti Clerico, & subinde die Lunæ 13. mensis Septembris eiusdē Anni, Camera citato prius adm.Illust. & Reuerendiss.D.Ioanne Benino Sanctissimi D.N. Papæ,& Cameræ Apostolicæ Generali Commissario, referente eodem Reuerendiss.D.Biscia; illas admisit,& in eiusdem Cameræ libris registrari mandauit, prout registratæ fuerunt libro primo Signat.Sanctiss.D.N. D.Gregorij Papæ XV. fol. 177.*

Ioan.Fetrinus R.C.A.Not.&c

BREVE

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII XV.
In forma Motus proprij super annullatione, extinctione, & abolitione officij Massariatus Rhædarum conducititiarum, &c.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus, in Ciuitate nostra Bononien. nouum officium vocatum Massaro delle Carozze da Nolo, paucis ab hinc annis erectum fuerit, & postea ob recursum habitum, ab expertoq. cognitum damnosum propter nimias angarias, & illicitas extorsiones conductoribus Rhædarum, & præstatoribus Equorum conducititiorum, aduenisq. & forensibus prætereuntibus impositas, etiamq. in præiudicium solitæ, & antiquæ libertatis fuerit suppressum, pauloque post auaritia nonnullorum à Superioribus renouatum fuerit, multiplicatis etiam extorsionibus, & angarijs, ac etiam in maximam seruitutem redactis conductoribus, & aduenis. Motu proprio, non alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine volumus, & tenore præsentium mandamus, vt officium prædictum vti damnosum generaliter, & præiudiciale antiquæ libertati omnium tollatur, cassetur, abolleatur, & penitus vnà cum omnibus superinde secutis extinguatur, sicq. per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, & irritum, ac inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq. contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 14. Iunij 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli.

S.Car.S.Suf.ᵃ

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPAE XV.
Super statutis, & iurisdictione fori Mercatorum, & causis ibi, & non alibi cognoscen. ac super alijs ad dictum forum spectantibus, &c.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum in foro Mercatorum Ciuitatis nostræ Bononien. cuius statuta saluberrima à sancta Sede Apostolica approbata sunt, & vsu recepta causæ Librorum Mercantilium, & in eo foro regulatorum, ac literarum cambij, & scriptorum priuatorum in eo foro, & non alibi cognosci, & terminari debeant, cum maxime cætera Tribunalia non versantia in cognitione, & decisione negotiorum, & causarum Mercantilium faciliter errare possint: Nos attentis præmissis, & quod in eo foro viget magnus numerus Iudicum, Consulum, & Supraconsulum plusquam sufficiens ad rotalem, & finalem decisionem causarum huiusmodi, & qui de dolo barattaria, & iniustitia in sindicatu tenentur, & irremissibiliter vbi ius exigit puniuntur: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & mandamus, quoscunque etiam quomodolibet exemptos, ex libris, literis cambij, & scripturis prædictis priuatis agentes forum prædictum, & non alibi pro causis huiusmodi tantum adire, & ibi conuenire, & conueniri, ac statutis ipsius fori subiacere debere, causasq. omnes pendentes, & futuras in dies Mercatorum, decoctorum, & cessantium ibi, & non alibi cognosci, & iuxta eiusdem fori statuta, quæ in hac parte sunt exactissima, terminari, non obstan. etiam

quoddam decreto à bon. mem. Henrico Cardinali Caetano, tunc in prædicta Ciuitate Sedis Apostolicæ de Latere Legato, sub die 20. Iunij 1588. in præiudicium dd. statutorum à Sede prædicta pluries approbatorum, & antiquissime iurisdictionis dict. fori emanato, aliosq. Iudices in Ciuitate Bonon. quacunq. præfulgeant dignitate, & facultate ordinaria, vel delegata, etiã si sint Cardinales de latere Legati, seu eorũ Vicelegati nullo modo in causis præmissis se intromittere posse, & cum potestate Iudici, & Consulibus dicti fori, quandocũq. inhibendi sub pœnis eorum arbitrio in euentũ non paritionis infligendis, & Cameræ ipsius Ciuitatis eo ipso applicandis, & causas ipsas ab alijs Iudicibus reassumendi, & vt in litteris fel. rec. Pij Papæ V. prædecessoris nostri sub dat. die 15. Martij 1566. Item & quod licentiæ retinendi libros mercantiles, & super eis scribendi, ac approbationes illorum cum occasio sese obtulerit iudicandi an sint more, & stilo mercatorio retenti, & regulati, & an fides illis adhibenda sit, nec ne à Iudice, & Consulibus fori tantum, iuxta formam statutorum concedantur, & fiant priuatiue quoad omnes alios. Quodque etiam causæ appellationum à sententijs, decretisque diffinitiuis, aut interlocutorijs Iudicis, & Consulum ordinariorum dicti fori interponen. ad Iudicem, & Consules appellationum de more quot annis, iuxta formam statutorum electorum deuoluantur, & coram eis, & non alibi cognoscantur, decidantur, & terminentur. Insuper alias literas piæ mem. Gregorij Papæ XIII. etiam prædecessoris nostri sub dat. Romæ die 8. Ianuarij 1578. super Iure reddendo in causis Mercatorum, ac ferijs tantum dicti fori, & non alijs obseruandis, necnon fel. rec. Sixti Papæ V. similiter prædecessoris nostri super non admissione beneficij auth. hoc nisi de solut. inter ipsos Mercatores, ac super alijs, omniaque & singula in eis contenta auctoritate, & tenore prædictis approbamus, & confirmamus, illisq. inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, & quatenus opus sit de nouo concedimus. Decernentes sic, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi, facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq. in contrarium facientibus quibuscunque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 14. Iunij 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli. S.Car.S.Suf.ª

## BREVE SANCTISSIMI D.N.D. GREGORII PAPÆ XV.
### In forma Motus proprij super facultatibus Tribunalis Visitæ gratiosæ in Ciuitate Bononiæ.

## GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum aliàs à fel. rec. Gregorio Papa XIII. prædecessore nostro per eius in simili forma Breuis sub die 26. Iulij 1572. expeditas literas Tribunal Visitæ gratiosæ in Ciuitate nostra Bononien. fuerit institutum, ad instar Tribunalis Visitæ gratiosæ Vrbis vnà cum eiusdem Tribunalis Visitæ gratiosæ facultatibus, & auctoritatibus; Nos literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, ac quatenus opus sit de nouò concedimus, vt idem Tribunal facultates prædictas habeat, etiamsi Carcerati sint in forma Cameræ obligati, & in vim mandatorum Auditoris Cameræ

pro

pro quacumque summa in carceribus detenti. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq́. contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 14. Iunij 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli. S. Car. S. Suf.ª

BREVE SANCTISS. D. N. D. GREGORII PAPAE XV.

In forma Motus proprij confirmatorium literarum Iulij II. & Gregorij XIII. vt beneficia Ecclesiastica Ciuitatis, & Diœcesis non conferantur nisi Ciuibus Bonon. seu Ciuium Bonon. filijs, cum concessione etiam quod Ciues ex priuilegio non admittantur, nec admitti possint.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Aliàs à fel. rec. Iulio II. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ex rationibus, & causis in eorum literis desuper expeditis concessum fuit, vt beneficia Ecclesiastica in Ciuitate, & Diœc. Bononien. pro tempore vacatura tàm per Sedem Apostolicam, quàm per eius Legatos, & Archiepiscopum Bonon. alijs, quàm Ciuibus Bononien. seu Ciuium Bononien. filijs conferri non possent, prout in prædictis literis plenius continetur. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, literas prædictas, omniaque & singula in eis contenta Apostolica auctoritate tenore præsentium in omnibus, & per omnia approbamus, & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus. Insuper de nouo concedimus, vt nec etiam Ciues ex priuilegio ad consequen. prædicta beneficia admitti possint. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq́. contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 14. Iunij 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli. S. Car. S. Suf.ª

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPAE XV.

In forma Motus proprij confirmatorium literarum Gregorij XIII. & Clementis VIII. Rom. Pont. vt Ecclesiastici ad opera publica concurrant.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum alias fel. rec. Greg. XIII. per suas sub die 11. Iulij 1573. & Clemens VIII. Romani Pontif. prædecessores nostri, etiam per suas sub die decima Martij 1600. in simili forma Breuis expeditas literas decreuerint, & ordinauerint, vt ad refectionem, reparationem, constructionemq́ue pontium, viarum, agerum, fluminum, aquæductuum, & aliorum similium operum in publicum, commune, aut priuatum beneficium factorum omnes Religiosi regulares, & sæculares mendicantes, & non mendicantes, ac quæcumque domus, hospitalia, monasteria, & alia loca pia, & omnes aliæ personæ quantumuis priuilegiatæ, & exemptæ Ciuitatis nostræ Bononien. quæ ex dictis operibus vtilitatem, commodumq́ue consequuntur, pro rata concurrere deberent; idemq́. tempore fel. etiam record. Pauli Papæ Quinti etiam prædecessoris nostri causa cognita per literas de illius ordine emanatas seruari debere omninò mandatum fuerit. Nos literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura delibe-

ratione nostris, omnia & singula in dictis literis contenta, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisq. inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac quatenus opus sit de nouo concedimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 14. Iunij 1621. Pontificatus nostri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli. S.Car.S.Suf.ª

## BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XV.

In forma Motus proprij super reintegratione Senatus in libera Cura, Gubernio, & Administratione totius Militiæ Territorij, cum superioritate tamen Legati pro tempore.

## GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum alias gubernium, cura, administratioq. totius Militiæ Territorij Ciuitatis nostræ Bononien. vnà cum superioritate Legati, Vicelegati, aut Gubernatoris ad Senatum spectaret, tum in ea reformanda, tum in officialibus, & militibus eligendis, ac addendis, & amouendis, tum in statutis, & capitulis, & alijs pro bono illius regimine edendis, & compilandis. Cumq. post recuperationem Ciuitatis nostræ Ferrarien. Generales armorum d. Ciuitatis Ferrarien. prætendere cæperint, & quandoque habuerint participationem, & superioritatem in prædicta Militia pedestri, & equestri in maximum præiudicium antiquæ fidei, maximæque deuotionis, & obedientiæ, quæ semper Ciuitas Bononien. prædicta erga Romanos Pontifices, & Sanctam Sedem professa est, & perpetuò profitetur, & prout quamplurimis occasionibus sibi oblatis enixè demonstrauit. Nos dilectorum filiorum Regiminis eiusdem Ciuitatis Bononien. quorum nobis est optimè cognita incorrupta fides, voluntas, & promptitudo Ciuium ad facultates, & vitam ipsam pro dicta Sede, ac Nobis profunden. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, Regimen huiusmodi in ipsa libera cura, gubernio, & administratione totius militiæ tàm pedestris, quàm equestris cum superioritate Legati pro tempore tantum, vt supra in omnibus, & per omnia, prout sólitus erat antè recuperationem dictæ Ciuitatis Ferrarien. Apostolica auctoritate tenore præsentium restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, sicque & non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultàte, & auctoritate vbique iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, & inane decernimus. Non obstan. quibuscumque in contrarium quomodolibet concessis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Ciuitatis Bononien. iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 15. Iunij 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli. S.Car.S.Suf.ª

BREVE

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XV.
In forma Motus proprij super lustratione, & alijs circa beneficium, & bonum gubernium Turmæ Equitum leuis Armaturæ custodiæ Palatij Ciuitatis Bonon.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus, initio cuiuslibet mensis cum interuentu dilecti filij nostri, & Sedis Apostolicæ in Ciuitate, ac Comitatu nostris Bononien. de latere Legati, seu eius Vicelegati, ac Vexilliferi Iustitiæ, Præfectorumq. ac Officialium Bancha militum stipendiatorum fiat lustratio militum Heluetiorum, & Equitum leuis Armaturæ custodiæ Palatij dictæ Ciuitatis. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, quod de cætero etiam Capitaneus Equitum personaliter interueniat, vt ille Heluetiorum facit, ad effectum reddendi ratione Gubernij sui, vt occasio se obtulit, ac etiam quadraginta milites effectiuè, & continuè inseruientes retineat, nec sint vulgo dicti, Passauolanti, cum à Camera recipiat stipendium pro numero prædicto, nec aliter loca vendat, aliàs stipend.um similium locorum ei non debeatur, sed ad commodum Cameræ cedat, & ad euitandum hoc, non possit ipse amouere, vel remittere milites, nisi cum consensu dicti Legati, & Regiminis eiusdem Ciuitatis. Nec ipse Capitaneus modo aliquo possit in futurum petere, aut prætendere quouis prætextu capsoldum, sed à Præfectis Banchę eorum arbitrio diuidatur inter milites veteranos, aut quauis alia de causa bene meritos, vt olim fuit destinatum, quatenus extent, aliàs ad commodum Cameræ cedat, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 15. Iunij 1621. Pontificatus nostri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli. S.Car.S.Suf.æ

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPAE XV.
In forma Motus proprij super exemptionibus Legatorum, &c.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus à fel. rec. Gregorio Papa XIII. prædecessore nostro per suas in simili forma Breuis expeditas literas, fuerit ordinatum pro exemptione Piscium pro vsu dilectorum filiorum nostrorum, & Sedis Apostolicæ in Ciuitate, & Comitatu nostris Bononien. de latere Legatorum, & eorum familijs singulo Mense libras quinque à Camera Bononien. eisdem persolui, & pro carnium exemptione libras sex pariter quolibet Mense, ipsis verò Legatis absentibus pro Vicelegatorum, aut Gubernatorum vsu pro dimidia tantum earundem summarum præstari debere, & quod nihil vlterius pro exemptionibus prætendere quouis alio prætextu possent, aut deberent; retroactis verò temporibus valdè excessum fuerit in maximum Cameræ prædictæ præiudicium, & in dies magis, nisi opportunè prouideatur, excedetur. Nos præmissis, quantum cum Domino possumus obuiare volentes. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, attenta etiam mutatione, & qualitate temporum summas prædictas in eorundem Legatorum, aut Vicelegatorum, aut Gubernatorum respectiuè vsum, Apostolica auctoritate tenore præsentium duplicamus, declarantes, & ordinantes, vt nihil vltra quouis modo, aut quauis ratione, vel causa pro dictis, aut alijs exemptionibus petere, aut

prætendere possint, & in reliquis prædictas Gregorij prædecessoris litteras, auctoritate, & tenore prædictis approbamus, & confirmamus, illisq; inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 15. Iunij 1621. Pontificatus nostri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli. S. Car. S. Suf.[a]

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XV. In forma Motus proprij super concessione, & solutione tractarum pro extrahendis Frumentis, & Bladis ex Prouincijs Apostolicæ Sedi subiectis.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Ad subleuandam Ciuitatis nostræ Bononien. inopiam pro eo quo illam prosequimur paternæ charitatis affectu intenti. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris. Regimini dictæ Ciuitatis, vt tempore caritatis Annonæ, cum necesse est, conducere frumenta, & bladas ex exteris locis ad ipsam Ciuitatem ex Prouincia nostra Marchiæ, Romandiolæ, ac ex tota Legatione Ferrarien. dicta frumenta, & bladas absque vlla solutione Datij, quod vulgo Tractas dicunt, extrahere, sed illa, & illas liberè, & exemptè à quibuscunque Datijs, & Gabellis locorum Nobis subditorum in Ciuitatem prædictam conducere ad vsum, & commodum Ciuitatis, & eius Comitatus, solutis tamen Iulijs quinque pro quolibet rubbio de extrahendis ex Prouincia Marchiæ, & Romandiolæ, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 15. Iunij 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli. S. Car. S. Suf.[a]

*Die Lunæ 30. Augusti 1621. supradictæ literæ Apostolicæ in plena Camera exhibitæ, & præsentatæ fuerunt, deq; ipsius Cameræ decreto commissæ Perillust. & Reuerendiss. D. Lelio Biscia eiusd. Cameræ Præsidenti Clerico; & subinde die Lunæ 13. Mensis Septemb. eiusd. Anni, Camera citato prius Adm. Illust. & Reuerendiss. D. Ioanne Bentio Sanctissimi D. N. Papæ, & Cameræ Apostolicæ Generali Commissario, referente eodem Reuerendiss. D. Biscia; illas admisit, & in eiusd. Cameræ libris registrari mandauit, prout registratæ fuerunt libro primo Signatur. Sanctiss. D. N. D. Gregorij Papæ XV. fol. 177.*

Ioan. Ferrinus R. C. A. Not. &c.

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPAE XV. In forma Motus proprij quod Carceres, etiam secreti absque impedimento à Senatoribus deputatis ab Illustrissimo Senatu semel in Mense visitari possint, & Carcerati non torqueantur nisi prius audito pauperum Aduocato.

GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus in Ciuitate nostra Bononien. consueuerint Carceres etiam secreti vnà cum Auditoribus per particulares Senatores à Regimine electos visitari, vt intelligerent grauamina à custodibus Carcerum, & alijs ministris illata ipsis carceratis ex dispositione fel. recor. Gregorij

gorij Papæ XIII. prædecessoris nostri; arte verò, & industria Auditorum, & aliorum ministrorum Carcerum tàm pium opus in desuetudinem abierit. Nos ad subleuandum carceratos nimis his temporibus oppressos, præmissis quantum cum Domino possumus obuiare volentes. Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris Apostolica auctoritate tenore præsentium præcipimus,& mandamus, vt in posterum dicti Visitatores à Regimine eligantur, qui vnà cum dictis Auditoribus, seu Ministris deputatis semel, saltem quolibet Mense dictos carceratos visitent etiam in secretis,& audiant, nec aliquo prętextu à quoque quauis auctoritate fungente impediantur, aut retardentur, & ne pauperrimi carcerati, plusquam par est, in tormentis graueniur, vllus carceratus torqueri possit, nisi prius Aduocato pauperum audito. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 15. Iunij 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Locus ✠ Sigilli. S. Car. S. Suf.*

## Die 10. Iulij 1621.

SVprascriptus Illustrissimus,& Reuerendiss. D. Cardinalis Legatus in Camera existens, visis, lectis, ac bene inspectis, & consideratis Breuibus, siue Literis Apostolicis Sanctissimi D. N. D. Gregorij Papæ XV. ac Capitulis manu Sanctitatis suæ signatis, alias & sub die 3. præsentis Mensis, suæ Illustriss. Dominationi præsentatis, productis, & relaxatis pro parte, & nomine Illustrissimi Senatus Bonon. & de quibus penes me Notarium, & Cancellarium infrascriptum, auditisque, & consideratis petitionibus, & instantijs sibi nomine Illustrissimi Senatus factis per Dominos Senatores Assumptos, & quas nunc de nouo nomine prædicto fecerunt, & repetierunt supradicta omnia Breuia, & Capitula, ac omnia, & singula in eis contenta (saluis tamen pro nunc infrascriptis quatuor Breuibus) acceptauit, approbauit, & admisit, ac à quibuscunque ad quos spectat, seu quomodolibet in futurum spectabit, perpetuò obseruari, adimpleri, & effectuali executioni demandari iussit, & mandauit, & pro prædictis omnibus, & singulis in prædictis Breuibus, et Capitulis contentis, obseruandis, et adimplendis quascunque intimationes, ac quęcunque mandata, et præcepta desuper necessaria, et opportuna contra quoscunque commisit, et liberè relaxauit, et exequi mandauit, obtulitque se paratum pro sua erga Sanctiss. D. N. Papam, et sanctam Sedem Apostolicam obedientia ratione sui officij prædicta omnia, et singula in ipsis Literis, seu Breuibus, et Capitulis contenta obseruare, et exequi, saluo tamen, et cum declaratione, quod in præsenti hoc suo admissionis, obseruationis, et effectualis dd. Breuium, et Capitulorum ordine, siue decreto pro nunc non veniant, nec comprehendantur Breue super Tribunali Rotæ, dat. Romæ sub die 14. Iunij præsentis anni; Breue dat. Romæ sub die 15. eiusdem men. et præsentis anni, in illa tamen parte continente, et disponente quod carcerati non torqueantur nisi prius audito pauperum Aduocato; Breue dat. Romæ sub die 14. Iunij præsentis anni, super abolitione officij Massariatus Rhadarum; et Breue exemptionum Illustrissimorum DD. Legatorum, seu Vicelegatorum respectiuè dat. Romæ die 15. eiusdem men. præsentis anni, quia ad huc illa, quæ debet inspectione, et matura deliberatione non considerauit, qua facta obtulit se paratum dare suum Decretum super admissione, et executione ipsorum, et prædicta omnia, et singula omni sua plenissima auctoritate, et facultate ordinauit, decreuit, iussit, et mandauit, non solum prædicto, sed et omni alio meliori modo, etc.

Prę-

Præſentibus ſupradictis DD. Aſſumptis prædicta acceptantibus, necnon præſentibus DD. Hannibale de Faba Ciue, et Notario Bonon. et Io. Baptiſta Cartario pariter Ciue Bonon. Teſtibus.

*Rogatus fui de prædictis omnibus ego Torquatus Monaldinus q. D. Mariæ filius Ciuis, & Notarius publicus Bonon. ac Cancellariæ Maioris eiuſd. Ciuis. Bonon. Cancellarius. In quorum fidem hic me ſubſcripſi, & ſubſignaui.*

Locus ✠ Signi.

# Die 24. Iulij 1621. Sabbati.

*Coram Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Cardinali Sabello Bononiæ de latere Legato.*

COmparuerunt Illuſtriſs. DD. Siluius Albergatus, Aſtorgius Volta, & Com. Camillus Ranutius Pręfecti Magiſtratuum Bononię, & eorum, & Illuſtriſs. Senatus nomine præſentarunt ſuæ Illuſtriſs. & Reuer. D. quaſdã litteras ei directas clauſas, & ſigillatas ſigillo Illuſtriſs. & Reuerend. D. Cardinalis Ludouiſij quibus apertis, & lectis inſteterunt mihi Notario, & Cancellario infraſcripto relaxari ad effectum regiſtrandi, & ſucceſſiue etiam nomine quo ſupra inherendo alijs petitionibus, & inſtantijs alias factis ſuper admiſſione, acceptatione, obſeruatione, & effectuali executione, & adimplemento Capitulorum, & Breuium Sanctiſs.[mi] D. Noſtri Papæ, alias Suæ Illuſtr.[me], & Reuer.[me] D. exhibitorum, & de quibus apparet penes me Notarium, & Cancellarium infraſcriptum inſteterunt, & de nouo petierunt, vt pro totali, & integro complemento admiſſionis, acceptationis, obſeruationis, & effectualis executionis, & adimplementi prædictorum omnium, & ſingulorum etiam admittantur, accipiantur, obſeruentur, & effectuali executioni, & adimplemento demandentur Breuia reſeruata in vltimo decreto facto per S. Illuſtriſs. D. ſub die 10. præſentis menſis Iulij, & de quo penes me Notariũ, & Cãcellariũ infraſcriptũ, & videlicet. Breue ſuper Tribunali Rotæ Dat. Romæ ſub die 14. Iunij præſentes anni, & Breue Dat. Romæ ſub die 15. eiuſdem in illa tantum parte continente, & diſponente quod Carcerati nõ torqueantur niſi prius audito Pauperum Aduocato. Breue Dat. Romæ ſub die 14. Iunij præſentis anni ſuper abolitione officij Maſſariatus Rhedarum, & Breue exemptionum Illuſtriſs. DD. Legatorum, ſeu Vicelegatorum reſpectiuè. Dat. Romæ die 15. eiuſdem menſis præſentis anni, necnon inſteterunt, & petierunt etiam ordinari, vt à quibuſcunque ad quos quouis modo ſpectat, & in futurum ſpectabit prædicta Breuia, & omnia, & ſingula in eis contenta obſeruentur, attendantur, & effectuali executioni, & adimplemento demandentur, & pro prædictis omnibus, & ſingulis conſequendis, & obtinendis quæcunque præcepta, & mandata neceſſaria, & opportuna, ac intimationes ſibi traddi, cõmitti, & liberè relaxari ſuper quibus &c. & prædicta omnia, & ſingula, prædicto, & omni alio meliori modo &c.

Qui Illuſtriſſimus, & Reuerendiſs. D. Bononiæ Legatus &c. viſis &c. ea omnia &c. & ſucceſſiue ſupradicta quattuor Breuia, & omnia, & ſingula in eis cõtenta acceptauit, approbauit, & admiſit, & à quibuſcunque ad quos ſpectat, ſeu quomodolibet ſpectabit perpetuo obſeruari, adimpleri, & effectuali executioni demandari iuſſit, & mandauit, & pro prædictis omnibus, & ſingulis in prædictis Breuibus contentis obſeruandis, & adimplendis quaſcunque intimationes, ac quæcunque mandata, & præcepta deſuper neceſſaria, & opportuna contra quoſcunq; commiſit, & liberè relaxauit, & exequi mandauit,

dauit, obtulitq. se paratum pro sua erga Sanctiss. D. Nostrum Papam, & sanctã Sedem Apostolicam obedientia ratione sui officij prædicta omnia, & singula in dictis litteris, & Breuibus contenta obseruare, & adimplere omni meliori modo &c.

Successiueq. supradictas litteras Illustriss. & Reuerend. D. Cardinalis Ludouisij mihi Notario, & Cancellerio infrascripto relaxauit ad effectum registrandi &c.

Præsentibus supradictis Illustriss. DD. Senatoribus Præfectis &c. etiam nomine quo supra prædicta omnia, & singula acceptan. &c.

Necnon præsentibus Mag.co D. Floriano Dulpho Syndico Cameræ Bononiæ, & Dominico Riueria Ciuibus, & Notarijs Bononiæ Testibus &c.

Tenor vero litterarum de quibus supra fit mentio est infrascriptus qui sequitur, Videlicet. *A' tergo.*

*All' Illustriss.e Reuerendiss. Sig. mio Colendiss. il Sig. Cardinale Sauelli Legato di Bologna.*

Intus vero. *Illustriss. & Reuerendiss. Sig. mio Colendiss. Hà proceduto la Santità di N. Sig. con la douuta consideratione, e maturità nelle gratie, che benignamente si è degnata di concedere à cotesta sua Città di Bologna, e conuiene, che senza impedimento siano messe in essecutione; Potrà dunque V. S. Illustriss. secondo l'instanza di cotesti Signori del Reggimento procurar, che le predette gratie conseguiscano intieramente il loro effetto, conforme al tenor de' Breui, che i medesimi Signori essibiranno, così comandando la Santità Sua. Io aspetto da V. S. Illustriss. il fauor di qualche comandamento, e per fine le baccio humilmente le mani. Roma 17. Luglio 1621. Di V. S. Illustriss.e Reuerendiss. Humiliss. & affettionatiss. seruit. Il Cardinale Ludouisi.*

# Die 30. Iulij 1621.

*Coram Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinali Sabello Bononiæ de latere Legato.*

COmparuerunt Illustrissimi DD. Astorgius Volta, & Siluius Albergatus Nob. Patr. & Senat. Bonon. Præfectiq. Magistratuum, & etiam nomine Illustrissimi Senatus Bononiæ exhibuerunt, præsentarunt, & dimiserunt in manibus suæ Illustriss. D. Breue motus proprij Sanctiss. D. N. D. Gregorij Papæ XV. super confirmatione prouisionum, seu Constitutionum Iuris Congrui, seu Prothomiseos, alias fact. de Anno 1586. Dat. Romæ sub Annulo Piscatoris die 21. Iunij præsentis Anni 1621. & institerunt illud recipi, & admitti, & registrari mandari, & suis loco, & temporibus, & quoties opus fuerit ab omnibus ad quos spectat, seu in futurum quomodolibet spectabit obseruari, & adimpleri debere, & facta collatione originale restitui successiueq. exhibuerunt, & relaxarunt Suæ Illustriss. D. quasdam litteras Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalis Ludouisij clausas, & suo sigillo sigillatas, & ipsi Illustriss. & Reuerendiss. D. Legato directas, quas recipi, & admitti institerunt, ac illis apertis, & lectis relaxari mihi Notario infrascripto ad effectum, vt registrentur, & earum tenor perpetuo appareat, ac etiam petierunt, & institerunt omnia, & singula in ipsis litteris contenta admitti, & in omnibus, & per omnia ab omnibus ad quos spectat, vel spectabit in futurum obseruari, adimpleri, ac effectuali executioni secundum tenorem illarum demandari, sibique nominibus prædictis super omnibus, & singulis prædictis opportunè prouideri, ac quæcunque necessaria, & opportuna mandata, & Intimationes decerni, & relaxari, & prædicta non solum modo prædicto, sed, & omni &c. super quibus &c. omni &c.

Qui Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalis Legatus visis &c. ea qua debuit reuerentia Breue prædictum accepit ipsoq; lecto, ac diligenter perspecto admisit registrarique, ac collationari mandauit, & originale postea restitui iussit, & ordinauit illudque

vna

vna cum Constitutionibus in eo enunciatis vsu recipi, obseruari, & adimpleri, nunc, & in futurum mandauit, & decreuit. Vlterius prædictas litteras Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalis Ludouisij eidem directas post eius lecturam mihi Notario tradidit, & infra registrari iussit, & mandauit obtulitq. se paratum iuxta tenorem ipsarum, & mentem Sanctiss. D. N. Papæ remouere, tollere, & abolere officium, & nomen, ac effectum Commissarij, seu Ministri, aut alterius nominis contrabannorum fraudum, aut monopoliorum nouiter post extinctionem Commissarij officij, ac Tribunalis Annonæ, seu Grasciæ in Ciuitate, & Comitatu Bononiæ introductum prout ex nunc in executionem dictarum litterarum officium nomen, ac effectum Commissarij, seu Ministri prædicti Contrabãnorum fraudum, siue Monopoliorum prædictum vna cum omnibus notarijs, ministris, ac alijs executoribus cassauit, sustulit, & penitus extinxit, & annullauit, & pro prædictis omnibus, & singulis contra quoscunque mandata, & Intimationes petitas concessit, & relaxauit, & prædicta omni &c.

Præsentibus DD. Galeatio Maria Vellio, & Dominico Riueria testibus &c.

## BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XV. In forma Motus proprij confirmatorium Legis, siue Constitutionum super Iure congrui, seu Prothomiscos.

### GREGORIVS PAPA XV.

AD futuram rei memoriam. Cum de anno 1586. pro ornatu Ciuitatis nostræ Bononiæ à Senatu consentiente, & autorizante bo. me. Henrico Cardinale Caetano nuncupato, tunc eiusdem Ciuitatis, illiusq. Comitatus, & Districtus Sedis Apostolicæ de latere Legato statutum, & ordinatum fuerit, vt pro maiori ornatu dictæ Ciuitatis locus esset iuri congrui, seu prothomiscos, ac seruari deberent constitutiones super hoc factæ, & editæ per multos Rom. Pontifices prædecessores nostros, & super hoc nonnulla capitula edita, & impressa fuerint. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris illa eorum tenores pro expressis habentes in omnibus, & per omnia, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, Decernentes sic, & non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 21. Iunij 1621. Pontific. nostri anno primo.

Locus ✠ Sigilli. S. Card. S. Su f.

Tenor supramemoratarum literarum est qui sequitur, videlicet. *A' tergo.*

*All'Illustriss. e Reuerendiss. Sig. mio Colendiss. il Sig. Cardinale Sauelli Legato di Bologna.*

Intus verò. *Illustriss. e Reuerendiss. Sig. mio Colendiss. Riceuo tre lettere di V. S. Illustriss. quest'ordinario in proposito dell'essecutione delle gratie, che la Santità di N. Sig. s'è degnata di concedere à cotesta sua Città, e perche sopra questa materia io di già hò significato à V. S. Illustriss. che sua Beatitudine vuole, che le dette gratie habbiano intieramente il loro effetto, non m'occorre di replicar' altro, se non che la Santità sua comanda, che ad ogni modo sia leuata la nuoua introduttione di Giudice, co'l nome di Ministro di contrabandi, e delle fraudi, poiche al tutto è proueduto mediante il Giudice de' Datij della Città, Dottori, Sindici della Gabella, Podestà, & Officiali di Contado, hauendo questi la cognitione in specie delle cause de' contrabandi,*

*bandi, non solo in vigore de gli statuti delle constitutioni, e de' rescritti di Sommi Pontefici, ma anco per antichissimo vso, e possesso. Con che à V.S. Illustriss. baccio humilmente le mani. Roma 24. Luglio 1621. Di V.S. Illustriss. e Reuerendiss. Humiliss. & affettionatiss. seruit. Il Cardinale Ludouisi.*

*Rog. fui de prædictis omnibus ego Torquatus Monaldinus q. D. Io. Mariæ filius Ciuis, & Not. publicus Bonon. & Cancellariæ Maioris Bonon. Cancellarius. In quorum fidem hic me subscripsi, & signum meum solitum, & consuetum apposui.*

Locus ✠ Signi.

*Supradicta omnia Capitula, ac Breuia Sanctiss. D.N. PP. Greg. XV. fuerunt notificata, & intimata omnibus, & singulis Iudicibus, Notarijs, Ministris, Officialibus, ac alijs quibus erat expediens cum dimissione copiarum, vt constat in actis supradicti D. Torquati Monaldini sub diebus 12. 13. ac 30. Iulij 1621. ac sub alijs diebus, & mensibus, de quibus in actis dd. Monaldini, Ser Alexandri Saxi, & etiam in actis Ser Paoli Monarij Notarij fori Archiepiscopalis de dicto anno 1621. &c.*

## BVLLA SANCTISSIMI D. N. D. PAVLI III.

Super spolijs non faciendis confirmata à Sanctissimo D.N.D. Gregorio Papa XV. in supradicto suo Breui.

*Dilectis filijs Quadraginta Viris Regimini Ciuitatis nostræ Bonon. Præsidentibus.*

## PAVLVS PAPA III.

Dilecti filij salutem, & Apostolicam bened. eximia fides, & singularis deuotio, quibus nos, & Romanam reueremini Ecclesiam promerentur, vt nos vobis in his præsertim, per quæ salubri status vestri directioni consulitur, liberales exhibeamus, & benignos. Dudum, siquidē postquā Nos ex certis tunc expressis causis, vos, & bona spolia nuncupata Prælatorū, cęterarumq. personarum Ecclesiast. Secularium, & Regulariū quantūcunq; & quomodolibet qualificatorū, etiā Cardinalatus honorū fulgentium, qui vel nulla, vel absque sufficienti facultate, aut vltra quantitatem, de qua facultatem haberent, condito testamento decederent in quibusuis Regnis, & Dominijs tempore eorum obitus remanentia ad Cameram Apostolicam, ac non alios etiam eorum successores spectasse, & spectare, ac tanquam ad ipsam Cameram spectantia perpetuo colligi, & recuperari potuisse, & posse per alias nostras sub plumbo confectas literas declarauerамus. Cum pro parte vestra nobis supplicatum fuisset, vt literas huiusmodi in Ciuitate Bonon. & eius iurisdictione exequi non permitteremus. Nos supplicantibus huiusmodi inclinati dilecto filio Guidoni Ascanio Sfortiæ S. Eustachij Diacono Cardinali de S. Flora nuncup. Camerario nostro viuæ vocis oraculo expressè mandauimus, vt vobis in præmissis opportunè prouideret. Ipseque Guido Ascanius Cardinalis, et Camerarius de mandato nostro huiusmodi tam ordinaria sui Camerariatus officij auctoritate, quam vigore facultatis sibi per easdem literas attributæ, & qua fungebatur in ea parte per suas patentes literas decreuit, & declarauit, literas nostras prædictas in Ciuitate Comitatu, & Districtu Bonon. non fore, nec esse quoquo modo exequendas. Inhibens propterea quibusuis ab eodem Guidone Ascanio Cardinale, & Camerario, ac Camera prædicta tunc, & pro tempore deputatis Spoliorum huiusmodi Commissarijs, & Collectoribus, seu Subcollectoribus, & Ministris, necnon quibusuis alijs personis tam Ecclesiasticis, quam Secularibus quibus per ipsum Guidonem Ascanium Cardinalem, & Camerarium, seu Sedem Apostolicam similia spolia

pro

pro tempore donatâ, seu aliter concessa forent, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis,& ipsi,& alijs arbitrio suo declarandis,& incurrendis pœnis, ne de cetero prætextu literarum nostrarum prædictarum in Ciuitate, vel Districtu,& Comitatu prædictis spolia huiusmodi exigere, vel recuperare præsumerent, vel ipsis litteris nostris,seu facultate eis per easdem literas nostras attributa, vel donationibus spoliorum huiusmodi eis quomodolibet factis vti, vel se illis iuuare præsumerent pro vt plenius in nostris continetur, & in ipsius Guidonis Ascanij Cardinalis, & Camerarijs literis prædictis contineri dicitur. Cum autem sicut nobis nuper exponi fecistis à nonnullis forsan nimium scrupulosis, & plusquam oporteat sapere satagentibus; eo quòd de mandato nostro prædicto, alias quam per assertionem ipsius Guidonis Ascanij Cardinalis,& Camerarij non constat, de iuribus literarũ huiusmodi hæsitetur, & propterea heredes Prælatorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum Ciuitatis,Comitatus,& Districtus prædictorum pro tempore decedentium,super rebus, & bonis, ac spolijs huiusmodi indebitè molestari,& inquierari possent, nobis humiliter supplicari fecistis, vt decreto,declarationi,& inhibitioni, Guidonis Ascanij Cardinalis, & Camerarij huiusmodi, tanquam de mandato nostro emanatis, etiam ad hoc, vt à die, quo emanarunt suum plenarium sortiantur effectum,robur, Apostolicæ confirmationis adijcere,aliasq; in præmissis oppottunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet, præsertim nobis integra deuotione subiectorum votis, quãtum cum Deo possumus libenter annuimus,literarum,& ipsius Guidonis Ascanij Cardinalis,& Camerarij prędictarum,ac quarumcunque aliarum quorumuis Romanorum Pontificum prædecessorum super Spolijs huiusmodi, & eorũ exactione hactenus emanatarum literarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes, ac decretum, declarationem, & inhibitionem Guidonis Ascanij Cardinalis, & Camerarij huiusmodi de mandato nostro sibi super hoc viuæ vocis oraculo; vt præfertur facto emanasse, & à die, quo ille emanarunt suum plenarium effectum. sortiri debuisse, & debere, recognoscentes huiusmodi supplicationibus inclinati decretum, declarationem, & inhibitionem Guidonis Ascanij Cardinalis, & Camerarij huiusmodi, ac prout illa concernunt omnia, & singula in eius literis prædictis contenta, & inde secuta quæcunq. etiam ad hoc, vt à die quo emanarunt suum plenarium consequantur effectum, quò ad res, & bona in Ciuitate, & Comitatu, & Districtu prædictis consistentia, & per Ecclesiasticas, Sæculares, vel Regulares personas dictæ Ciuitatis, & Dœcesis Bonon. quæsita,& tempore eorum obitu relicta, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuum firmitatis robur adijcimus, supplentes omnes, & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem, eaq. omnia, & singula valida, & efficacia fore, & à die, quo emanarunt suum plenarium effectum consequi, & ab omnibus etiam pro dicta Camera Agẽtibus,ac spoliorum huiusmodi Collectoribus,& Subcollectoribus vtiliter etiam in dicta Ciuitate deputatis inuiolabiliter obseruari debuisse, & debere; ipsosque Agentes, Collectores, & Subcollectores ad eorum omnium, & à die, quo ea emanarunt, obseruatione obligatos fuisse, & esse, ac ad id etiam sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis cogi, & compelli potuisse, & in posterum posse; sicq. in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis actoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Clericos dictæ Cameræ præsidentes, ac eundem, & pro tempore existentem Camerarium nostrum in quauis causa, & instantia, sublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, deffiniri, & interpretari debuisse, & in posterum debere, ac si secus super ijs à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari irritum,& inane decernimus;

cernimus; Et nihilominus pro potiori cautela nostris, & quorumuis aliorum prædecessorum nostrorum super spolijs huiusmodi, & illorum exactione hactenus emanatas literas prædictas, & in posterum emanandas, ac consuetudinem spolia huiusmodi colligendi, & exigendi in diuersis orbis partibus vigentem, & obseruatam, in Ciuitate, Comitatu, & Districtu præfatis quod ad res, & bona inibi consistentia, & per easdem Ciuitatis, & Dięcesis huiusmodi personarum, vt præfertur quæsita, & relicta exequendas non esse, sed spolia ipsa hæredibus pro tempore vbicunque etiam in Romana Curia decedentium beneficiatorum, quacunq; dignitate, etiam Cardinalatus honore pręfulgentium dimittenda esse, & dimitti debere, ac ab eisdem hæredibus, etiam ab intestato succedentibus per quosuis etiam spoliorum huiusmodi Commissarios, aut Collectores, & Subcollectores, seu ipsorum decedentium in beneficijs per ipsos obtentis successores auferri non posse, nec debere; auctoritate Apostolica, & tenore prædictis statuimus, & ordinamus, districtius inhibentes quibusuis spoliorum huiusmodi Commissarijs, Collectoribus, & Subcollectoribus, vbilibet etiam in eisdem Ciuitate, Comitatu, & Districtu, etiam per nos, & sedem prædictam pro tempore deputatis, ac alijs quibus spolia huiusmodi donata, aut quouis alio, etiam venditionis titulo in posterum donabuntur, seu concedentur, ne de cætero prætextu nostrarum, aut quorumuis aliorum nostrorum prædecessorum, literarum, aut consuetudinis huiusmodi in eisdem Ciuitate, Comitatu, & Districtu spolia, per Ciuitatis, & Diœcesis personas huiusmodi, vt præfertur quæsita, & relicta huiusmodi, colligere, exigere, vel recuperare, seu literis nostris, & prædecessorum, aut consuetudine, seu eis factis donationibus, vel concessionibus huiusmodi, quouis modo vti, vel illis se iuuare quomodolibet præsumant. Ac mandantes dilectis filijs moderno, & pro tempore existenti nostro, & eiusdem Sedis in dicta Ciuitate Legato, vel eius Vicelegato, & eiusdem Ciuitatis Gubernatori, ac Vicario Vener. fratris Episcopi Bononien. in spiritualibus Generali, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte hæredum prædictorum, aut aliquorum ex eis desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis deffensionis præsidio assistentes faciant, auctoritate nostra, tàm dicti Guidonis Ascanij Cardinalis, & Camerarij, quàm præsentes nostras literas prædictas suum debitum effectum sortiri, & ab agentibus pro dicta Camera, necnon spoliorum huiusmodi Commissarijs, & Collectoribus, ac Subcollectoribus prædictis, & alijs quos ille concernunt inuiolabiliter obseruari, non permittentes hæredes prædictos ab illis desuper quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac eis in præmissis non parentes, sententijs, censuris, ac pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniarijs, eorum arbitrio moderandis, & applicandis, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super ijs habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggrauando. Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstan. præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Cameræ etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim à dicta sit sede indultum, qui interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 8. Februarij 1548. Pontificatus nostri anno decimoquarto.

*Blo. El. Fulgin.*

# BREVE SANCTISSIMI D. IVLII PAPÆ III.
Super spolijs non faciendis, confirmatum in supradictis literis Sanctissimi D. N. D. Gregorij XV.

## IVLIVS PAPA III.

Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem, singularis deuotionis affectus, quo nos, & Roman. reueremini Ecclesiam nos merito inducit, vt quæ vobis per prædecessores nostros gratiose concessa fuerunt, nostræ approbationis munimine fauorabiliter roboremus. Dudum siquidem postquam fel. rec. Paulus Papa III. prædecessor noster, ex certis tunc expressis causis, res, & bona spolia nuncupata, prælatorum, cæterarumque personarum Ecclesiasticarum, Secularium, & Regularium quantumcúque, & quomodolibet qualificatarum, etiam Cardinalatus honore fulgentium, qui vel nulla, vel absque sufficienti faculate, aut vltra quantitatem, de qua facultatem haberent condito testamento decederent in quibusuis Regnis, & Dominijs tempore eorum obitus, remanentia ad Cameram Apostolicam, & non alios, etiam eorum successores spectasse, & spectare, ac tamquam ad ipsam Cameram spectantia perpetuo colligi, & recuperari potuisse, & posse per quasdam literas sub plumbo declarauerat, & dilectus filius noster Guido Ascanius S. Mariæ in Via lata, tunc S. Eustacchij Diaconus Cardinalis de S. Flora nuncupatus, Camerarius noster, tunc suus, tàm ordinaria auctoritate sui Camerariatus officij, quàm vigore facultatis sibi per easdem literas attributus, ac de ipsius prædecessoris mandato per suas patentes declarauerat literas prędecessoris huiusmodi in Ciuitate, Comitatu, & Districtu Bonon. non fore, nec esse quoquomodo exequendas, inhibens quibusuis ab eosdem Guidone Ascanio Cardinale, & Camerario, ac Camera pro tempore deputatis spoliorum huiusmodi Commissarijs, & Collectoribus, seu Subcollectoribus, & Ministris, necnon quibusuis alijs personis tàm Ecclesiasticis, quàm Secularibus, quibus per ipsum Guidonē Ascanium Cardinalem, & Camerarium, seu sedem Apostolicam similia spolia pro tempore donata, seu aliter concessa forent, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub excommunicationis, et alijs arbitrio suo declarandis, et incurrendis pœnis ne ex tunc de cætero prætextu literarum prædecessoris huiusmodi in Ciuitate, vel Districtu, et Comitatu præfatis spolia huiusmodi exigere, vel recuperare præsumerent, vel literis ipsis, seu facultate eis per ipsas literas attributa, seu donationibus spoliorum huiusmodi eis quomodolibet factis, vti, vel se illis iuuare præsumerent. Idem prædecessor decretum, declarationem, et inhibitionem Guidonis Ascanij Cardinalis, et Camerarij huiusmodi, de mandato suo sibi super hoc viuæ vocis oraculo facto emanasse, et à die quo illa emanauerant suũ plenarium effectum sortiri debuisse, et debere, recognoscens vestris in ea parte supplicationibus inclinatus decretum, declarationem, et inhibitionē Guidonis Ascanij Cardinalis, et Camerarij huiusmodi, et prout illa concernebant omnia, et singula in eius literis prædictis contenta, et indè sequuta quacumque quo ad res, et bona in Ciuitate, Comitatu, et Districtu prædictis consistentia, et per Ecclesiasticas personas dictarum Ciuitatis, et Diœcesis Seculares, et Regulares quæsita, et tempore eorum obitus relicta, per alias suas in forma Breuis confectas literas approbauit, et confirmauit, ac illis perpetuum firmitatis robur adiecit, supplens omnes, et singulos iuris, et facti deffectus, si qui forsan interuenerunt in eisdem, eaq. omnia, et singula valida, et efficacia fore, et ab omnibus etiam pro dicta Camera agentibus, ac spoliorum huiusmodi Collectoribus, et Subcollectoribus vbilibet etiam in dicta Ciuitate deputatis inuiolabiliter obseruari debere, ipsosq. Agentes, Collectores, et Subcollectores ad eorum omninm obseruantiam obligatos esse, et ad id etiam sententijs, censuris, et pœnis Eccle-

clesia-

clesiasticis cogi, et compelli posse, sicq. iudicari debere, et si secus attemptari contingerit irritum, et inane decreuit, et pro potiori cautela suas prædictas, et quorumuis aliorum prædecessorum nostrorum, tunc suorum super spolijs huiusmodi, et illorum exactione eatenus emanatas, et in posterū eman. literas, ac consuetudinē spolia huiusmodi colligendi, et exigendi in diuersis mundi partibus vigentem, et obseruatam in Ciuitate, Comitatu, et Districtu prædictis, quo ad res, et bona inibi existentia, et per personas Ciuitatis, et Diœcesi huiusmodi, vt præfertur quæsita, et relicta exequendas non esse, sed spolia ipsa hæredibus pro tempore vbicumque, etiam in Romana Curia decedentium beneficiatorum quacumque dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentium dimittendam esse, et dimitti debere, ac ab eisdem hæredibus, etiam ab intestato succedentibus per quosuis etiam spoliorum huiusmodi Commissarios, aut Collectores, & Subcollectores, seu ipsorum decedentium in beneficijs per ipsos obtentis successores auferri non posse, nec debere statuit, & ordinauit, inhibens quibusuis spoliorum huiusmodi Commissarijs, Collectoribus, & Subcollectoribus vbilibet etiam in eisdem Ciuitate, Comitatu, & Districtu, etiam per prædecessorum, & Sedem præfatos pro tempore deputatis, ac alijs quibus spolia huiusmodi donarentur, aut quouis alio etiam venditionis titulo in posterum concederentur, ne ex tunc de cætero prætextu suarum, aut quorumuis aliorum prædecessorum prædictorum literarum, aut consuetudinis huiusmodi in eisdem Ciuitate, Comitatu, & Districtu spolia per personas Ciuitatis, & Diœcesi. huiusmodi, vt præfertur quæsita, & relicta colligere, exigere, vel recuperare, seu literis suis prioribus, & prædecessorum, aut consuetudine, seu eis factis donationibus, vel concessionibus huiusmodi quouis modo vti, vel illis seruare quomodolibet præsumerent, prout plenius in singulis prædecessoris continetur, & Guidonis Ascanij Cardinalis, & Camerarij literis huiusmodi contineri; Quare per oratores vestros ad nos super hoc specialiter destinatos nobis humiliter supplicari fecistis, vt recognitioni decretis, statuto, ordinationi, & inhibitioni prædecessoris huiusmodi robur nostræ approbationis adijcere, & alias in præmissis oppurtunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui fidelium præsertim nobis immediate subiectorum votis, quantum cum Deo possumus libenter annuimus singularum literarum prædictarum veriores tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, recognitionem singula decreta, statutum, ordinationem, & inhibitionem Pauli prædecessoris huiusmodi, ac pro vt illa concernant omnia, & singula in posterioribus literis Pauli prædecessoris huiusmodi contenta, & inde secuta quæcumque ad hoc, vt literæ Pauli, & aliorum prædecessorum huiusmodi super spolijs prædictis, & illorum exactione hactenus emanatæ, & per nos, & successores nostros forsan in posterum emanandæ, ac consuetudo spolia ipsa colligendi, & exigendi in Ciuitate, Comitatu, & Districtu prædictis quo ad res, & bona inibi existentia, & per personas Ciuitatis, & Diœcesi. huiusmodi, vt præfertur quæsita, & relicta exequendę non sint, sed spolia ipsa illis, quibus illa de iure debebuntur, dimittantur, & dimitti debeant, ac ab eis quibus illa de iure debebuntur, per quosuis etiam spoliorum huiusmodi Commissarios, aut Collectores, & Subcollectores auferri non possint, nec debeant. Apostolica auctoritate tenore præsentium ex certa scientia approbamus, & confirmamus, ac illis plenum, & perpetuum firmitatis robur adijcimus, supplentes omnes, & singulos iuris, & facti defectus si qui forsan interuenerint in eisdem, eaque omnia, & singula ad effectum prædictum valida, & efficacia fore, suosque effectus sortiri ab omnibus etiam pro eadem Camera Agentibus, ac specialibus, vel generalibus spoliorum huiusmodi Collectoribus, & Subcollectoribus vbilibet etiam in Ciuitate, & Diœcesi. prædictis deputatis inuiolabiliter obseruari debere, ipsosq. Agentes, Collectores, & Subollectores ad eorum omnium obseruationem teneri, & obli-

C 2 gatos

gatos esse, & ad id etiam sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis cogi, & compelli posse, sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Clericos præfatæ Cameræ Præsidentes, ac eundem, & pro tempore existentem Camerarium nostrum in quauis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate iudicari, & diffiniri debere, ac si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, & inane decernimus, & nihilominus pro potiori cautella præmissa omnia, prout per ipsum Paulum prædecessorem statuta ordinata, & inhibita fuerunt ad effectum huiusmodi dumtaxat de nouo auctoritate, & tenore prædictis statuimus, ordinamus, & inhibemus. Non obstan. præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ d. Paulus prædecessor in eius literis prædictis voluit non obstare, cæterisq́. contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 8. Septembris 1552. Pontificatus nostri Anno tertio.

*Gal. Aquinas.*

BVLLA SANCTISSIMI D. N. PAVLI PAPÆ TERTII.
Quod causæ alibi quam in Rota cognosci, & terminari non debeant, nec ab ipsa possint auocari.

PAVLVS PAPA III.

AD futuram rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio, quo sumus vnicuique in administranda iustitia huiuscemodi personis quibuslibet, præsertim nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectis consulitur, nostræ vigilantiæ partes propensius impartimur. Exponi nobis fecerunt dilecti filij Vexilliferi Iustitiæ, & Quadraginta Reformatores status libertatis Ecclesiasticæ Ciuitatis nostræ Bononien. quod licet in primordio nostrę ad summum Apostolatus apicem assumptionis dictorum Vexillifer, & Reformatorum supplicationibus inclinati, quod in dicta Ciuitate Rota perpetuis temporibus duratura, & singulo quinquennio renouanda fieret, & erigeretur, & pro ea facienda, & erigenda quinque Doctores excellentes, & vsu, ac peritia iudicandi præstantes aliunde, quàm ex ipsa Ciuitate, aut eius Comitatu, siue Districtu oriundi, & qui in eadem Ciuitate saltem per integri anni interuallum non habitassent. Qui omnes causas ciuiles, duntaxat, certam summam excedentes, in prima, secunda, & vlteriori instantijs cognoscere, & terminare habeant, cum modis, & oneribus, capitulis, & prouisionibus necessarijs, & opportunis, ac per partita inter eosdem Vexilliferum, & Reformatores legitimè, more solito, in præsentia, & de consensu pro tempore existentis nostri in dicta Ciuitate Legati, seu eius Vicelegati, obtinenda, statuendis, & declarandis eligerentur: & ex eisdem quinque Doctoribus singulis annis Potestas eiusdem Ciuit. deputaretur: ipsiq́. omnes post duos annos, immediatè subsecuturos, syndicatui de eis faciẽdo, subiacere deberent. Et dum Rotæ huiusmodi præsiderent, nullum aliud officium, nec iurisdictionem aliquam in dicta Ciuitate habere, aut obtinere possent, statuerimus, & ordinauerimus: prout in capitulis de mandato nostro signatis, plenius continetur. Nihilominus quia contingere posset causas in eadem Rota pendentes, vigore commissionum ad importunam partium instantiam, per nos, seu de mandato nostro pro tempore signatarum, ab illa auocari, & alijs Iudicibus tàm in partibus, quàm in Rom. Curia committi, & ciues & incolæ Ciuitatis, & Comitatus, ac Districtus prædictorum erectione Rotæ huiusmodi frustrari, &

circa

circa profecutionem caufarum, & litium fuarum diuerfis expenfis, & laboribus fatigari, in eorum graue difpendium, nobis humiliter fupplicari fecerunt, vt in premiffis opportunè prouidere de benignitate Apoftolica dignaremur. Nos igitur qui noftrorum, & dictę Sedis fubditorum difpendijs, quantum cum Deo poffumus, libenter occurrimus, dictorum Vexilliferi, & Reformatorum fupplicationibus inclinati: quod de cętero omnes, & fingulę caufæ ciuiles inter ciues, & incolas pro tempore exortæ, fummam prędictam excedentes, in quacunque inftantia in eadem Rota, & non alibi cognofci, & terminari debeant. Quodque ab illa quouis modo nifi per nos, & fucceffores noftros Rom. Pontifices pro tempore exiftentes, & in vim commiffionis per nos, feu eofdem fucceffores noftros, noftra, vel eorum propria manu, & per hoc verbum, Placet, fignatæ, nifi de vtriufque partis confenfu auocari nō poffint nec Poteftas, aut Auditores præfati inhibitionibus, feu mandatis eis, vigore commiffionum aliter, quam, vt prę fertur, fignatarum, factis, etiam quafcunque fententias, cenfuras, & pœnas, etiam pecuniarias in fe continentibus, parere teneantur: nec ob non paritionem huiufmodi aliquibus fententijs, cenfuris, & pœnis prædictis innodati, aut illas incurrere quouis modo poffint, authoritate Apoftolica tenore præfentium, & ex certa fcientia ftatuimus, & ordinamus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, fi fecus fuper his à quoquam quauis authoritate fcienter, vel ignoranter contingerit attentari. Non obftantibus præmiffis, ac conftitutionibus, & ordinationibus Apoftolicis, cæterifque contrarijs quibufcunq. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum fub Annulo Pifcatoris die 11. Iulij 1539. Pontificatus noftri Anno Primo.

*Blofius.*

## BREVE SANCTISSIMI D. N. D. PII PAPÆ QVINTI Super caufis in Foro Mercatorum cognofcen.

## PIVS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam; æquum, & honeftum effe videtur, vt noftrarum & S. R. E. Ciuitatum, præfertim infignium ftatuta, quæ per Sedem Apoftolicam confirmata effe reperiuntur, quo firmius illibata perfiftant, & ab omnibus inconcufsè conferuentur, Noftræ quoque approbationis munimine roboremus, & alias defuper ftatuamus, prout in Domino confpicimus falubriter expedire. Sanè dilecti filij Vexillifer, & Quadraginta Viri Reformatores ftatus libertatis Ciu. noftrę Bonon. Nobis nuper exponi fecerunt, quod cum in Foro Mercatorum eiufdem Ciuitatis nonnulla ftatuta, & à Sede prædicta approbata, & vfu recepta exiftant, videlicet. Quod caufæ librorum mercantilium, & in eo Foro regulatorum, & literarum cambij, & fcriptorum priuatorum in eodem Foro, & non alibi cognofci, & terminari debeant, cum maximè cætera Tribunalia non verfantia in cognitione, & decifione negociorum, & caufarum mercantilium facilè in his errare poffint, quoniam in eo Foro magnus numerus Iudicum, Confulum, & Supraconfulum vigere foleat, qui ad totalem, & finalem decifionem caufarum huiufmodi fufficiat. Quare nobis humiliter fupplicari fecerunt exponentes præfati, quatenus ftatuta huiufmodi confirmare, & innouare, aliafque in præmiffis opportunè prouidere de benignitate Apoftolica dignaremur. Nos igitur qui ea, quæ commoditati dictæ Ciuitatis prodeffe videntur libenter procuramus, huiufmodi fupplicationibus inclinati, ftatuta huiufmodi confirmantes, approbantes, & innouantes ordinamus quod quicunque ex libris, literis cambij, & fcriptis priuatis prędictis agentes, etiam Hæbrei fænus, & ex priuilegio Apoftolico exercentes, & alias quomodolibet exempti Forum prædictum, & non alibi, pro caufis huiufmodi adire, &

 ibi

ibi conuenire, & conueniri, ac statutis ipsius Fori subijci debeant, nec alij Iudices in eadem Ciuitate Bonon. existentes quacunque perfulgeant dignitate, & facultate ordinaria, vel delegata fungantur vllo modo in causis prædictis se intromittere possint, ac Iudices, & Consules dicti Fori quandocunque sub pœnis eorum arbitrio in euentum non paritionis infligendis, & Cameræ Apostol cæ eo ipso applicandis inhibendi potestatem habeant, irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoq. quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate Apostolica tenore præsentium de nouo statuimus, ordinamus, atque decernimus. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusuis, & alijs dictæ Ciuitatis statutis, & consuetudinibus, & iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis quibuscunq. sub quibusuis tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus eorum tenoribus præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat expressè derogamus, cæterisq. contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Martij 1566. Pontificatus nostri Anno Primo.

*C. Glorierius.*

## BVLLA SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII XIII.
### Super causis in Foro Mercatorum cognoscen.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex iustitiæ in terris administrandæ auctor præcipuus, illos qui temporali eius ditioni subsunt ad incommodis litium, præsertim in his in quibus celeritas requiritur, quam primum eximi, & liberari procurat, aliasq. desuper statuit, & disponit, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vexilliferi Iustitiæ, & Quadraginta Virorum Reformatorum status Libertatis Ciuitatis nostræ Bonon. petitio continebat, quòd in Foro Mercatorum dictæ Ciuitatis, vt plurimum executiuas, necnon mercedum causas tractari, ac de & pro rebus, & computis, seu rationibus pro maiori parte liquidis in eodem Foro agi, causarumq. huiusmodi expeditionem sæpè, occasione mandatorum, quæ ab his qui eidem Ciuitati regendæ præsunt, propter calores immensos, & messes, ac vindemias, seu alias causas eduntur, ac publicantur, vt quibusdam diebus à iure reddendo in quocunque Foro abstineatur impediri, & retardari; ac preterea causas ad Forum ipsum pertinentes, necnon in eo introductas, indistinctè, nulla habita ratione, ad ipsorum Rectorum, seu aliud Forum sæpe introducere, & à Foro Mercatorum huiusmodi auocari contingit in graue litigantium præiudicium, & detrimentum. Quare pro parte eorundem Vexilliferi, & Virorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus opportuna in præmissis remedia (vt finis litibus, quæ secum ingentia incommoda afferunt imponatur) adhibere, ac alias desuper prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui votis illis, per quæ diuturniores litium anfractus se moueri valeant libenter annuimus Vexilliferum, & Viros prædictos, eorumq. singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq. Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati de cætero mandata, & edicta huiusmodi ex quibusuis causis, & rationibus publicanda, ex quibus ius reddi prohibetur, vt præfertur ad Forum Mercatorum huiusmodi se

non

non extendere, illudq. minimè complecti; Iudicemque, Consules, Supraconsules, ac alios eiusdem Fori pro tempore existentes Iudices, seu Officiales ad alias ferias quàm ab ipsius Fori statutis præscriptas seruandas minimè teneri, nec ad id per Legatos etiam de Latere Vicelegatos, seu Gubernatores, & alios in ea iusdicentes, vel quoscunque alios pro tempore, cogi, vel compelli posse, ac prædictos Iudices dicti Fori mandatis, vel edictis huiusmodi non obstantibus, causas coram eis pendentes audire, cognoscere, & terminare posse, nec nullitatis vitio actus iudiciales, & sententias ferendas quoscunq. illis diebus factos, & latas subiacere. Necnon causas omnes librorum mercantilium in ipso Foro regulatorum, literarum cambij, & apocharum, seu scriptorum priuatorum, ac alias quascunque ad ipsum Forum in prima, vel vlteriori instantia vigore illius statutorum pertinentes in Foro ipso, & non alibi in omni, & quacunque instantia omnino agi, cognosci, & terminari debere; Legatosq. etiam de Latere, Prolegatos, Gubernatores, seu alios quauis auctoritate fungētes in ipsa Ciuitate pro tempore Iusdicentes, causas ipsas ab eodem Foro auocare, vel in eis se quoquo modo intromittere, illas ad proprium, vel aliud Tribunal retinendo, vel delegando, aut aliud quicquam in præiudiciū ipsius Fori, occasione cognitionis causarū huiusmodi, & contra statuta prædicta minimè posse, vel debere. Apostol. auctoritate tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus, sicq. per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam dictæ Ciuitatis Legatos, & Gubernatores, & alios quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere; necnon quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari irritum, & inane decernimus, ac Iudicibus Fori Mercatorum huiusmodi quibuscunque, sub pœnis ipsorum arbitrio indicendis, & Cameræ Apostolicæ applicandis, inhibendi facultatem auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & impartimur. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Ciuitatis iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis Ciuitati, ac Legatis, & Gubernatoribus prædictis, & quibusuis alijs personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis; Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumq. totis tenoribus specialis mentio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, statuti, ordinationis, decreti, concessionis, impartitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, sexto Idus Ianuarij Pontificatus nostri Anno Sexto.

*A. de Alexijs.*

## BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPAE XIII. Super institutione visitationis Carcerum in Ciuitate Bonon. & Visitatorum deputatio.

## GREGORIVS PAPA XIII.

AD perpetuam rei memoriam. Illius, qui charitas est, & cuius Apostolus Paulus se etiam si linguis hominum loqueretur, & Angelorum, nouissetque misteria omnia,

omnia, atque prophetiam, & omnem scientiam, itaut montes transferre posset charitatem tamen non haberet, nihil esse, & charitatem reliquis virtutibus maiorem, ac legis plenitudinem esse affirmauit, vices licet immeriti gerentes in terris, vt vbilibet præsertim in Ciuitate nostra Bononiæ, quæ inter Italicas Vrbes celebritate doctrinæ nemini secunda existit, charitatis opera in pauperibus carceratis visitandis, ac plerumque ex æquitate remisso summo iure subleuandis exerceantur opem, & operam impendimus efficaces. Sanè sicut nobis innotuit licet in Ciuitate nostra Bononiensi, plerique Magistratus fuerint instituti, multa etiam Tribunalia erecta pro bono eiusdem Ciuitatis regimine, & directione, tamen cum nihil in ea hactenus circa Carceratorum visitationem, quæ inter præcipua charitatis opera numeratur, statutum fuerit, vt verisimile sit ea in Ciuitate, quæ admodum populosa, & maximo forensium, & ignotorum numero frequentatur pauperes, & alios ingenti necessitate, rerumque omnium inopia oppressos, nè dum amicis, qui pro eis solliciti sint, & coram Iudicibus se præsentent, eorumq. petitiones exponant, verum etiam notis sæpe carere. Cupientesq. præmissis, & alijs dictæ Ciuitati necessariis rebus opportunè prouidere, quodque prouisio nostra huiusmodi perpetuò duret, in dictaq. Ciuitate vigeat. Motu proprio non ad dictæ Ciuitatis, aut alicuius pro ea nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra mera deliberatione, ac certa scientia in dicta Ciuitate Bononiensi vnum Collegium, siue Tribunal deputatorum visitationi Carcerum eiusdẽ Ciuitatis ad instar olim in Alma Vrbe nostra instituti, qui pari modo tàm ciuiles, quàm criminales, ac meras, & mixtas causas eadem forma, quæ à Visitatoribus deputatis in Alma Vrbe obseruatur seruata audire, decidere, & fine debito terminare, & ad illius similitudinem, & exemplum possit, & valeat cum omnibus & singulis priuilegijs, facultatibus, auctoritatibus, & potestatibus, indultis, concessionibus, prærogatiuis, honoribusq. & oneribus, quibus eiusdem Almę Vrbis carcerum Visitatores, tàm ex Summorum Pontificum prædecessorum nostrorum priuilegio, quàm de iure, & consuetudine vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum perpetuò Apostolica auctoritate tenore præsentium instituimus. In dicto vero sic instituto carcerum Visitatorum Collegio infrascriptas personas, quæ vt plurimum singulis carcerum Visitationibus in dicta Ciuitate faciẽdis interesse debeant pro tempore describimus, eosque videlicet pro tempore existentem dictæ Ciuitatis Legatum, seu Gubernatorem, eiusdemq. ciuilium, & criminalium causarum Auditores. Duos ex Rotæ Bonon. Auditoribus, Ciuitatis eiusdem Prætorem, Vexilliferum Iustitiæ, necnon pro tempore existentis Episcopi Bonon. Vicarium, Doctorem Tribunorum Plebis, Iudicem Fori Mercatorum, ac vnum ex Quadraginta Viris Bononiensibus Regiminis dictæ Ciuitatis deputatis, & vnum ex Præsidentibus Montis Pietatis, qui quandoque Clericus etiam Regularis, quandoq. etiam Laycus ad nutum ipsius Montis Pietatis Præsidentium sit, vna cum vno ex Sindicis, ac Notario, carcerum Visitatorum nuncupando per Confratres Confraternitatis Hospitalis de Morte, etiam nuncupat. canonice in dicta Ciuitate institutæ eligendis, eorumq. singulos carcerum dictæ Ciuitatis Bonon. Visitatores, eisdem auctoritate, & tenore facimus, constituimus, & deputamus, decernentes præsentes nullo vnquam tempore de surreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, vel impugnari posse, sed easdem præsentes validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, necnon ab omnibus ad quos spectat, aut spectare poterit quomodolibet in futurum inuiolabiliter obseruari, sicque per quoscunq. Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Card. ac causarum Palatij Apostolici Auditores, vel eorum Locumtenentes sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque,

&

& inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filijs nostris nunc, & pro tempore existenti in Ciuitate Bononiensi Legato, seu eius Vicelegato, ac venerabilis Fratris Episcopi Bonon. Vicario in spiritualibus genetali motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunq; vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Visitatorum prædictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, auctoritate nostra præmissa omnia, & singula firmiter obseruari, ipsosque omnes quos eædem literæ concernunt, & concernent in futurum illis pacificè frui, & gaudere; non permittentes eorum quempiam per quoscunque quauis auctoritate fungentes desuper quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas, aliaq. opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, & alijs constitutionibus, & ordinarionibus Apostolicis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ciuitati, illiusq. Superioribus, & personis, ac quibusuis alijs in genere, vel in specie concessis, confirmatis, & sæpius innouatis. Quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes illis, aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 26. Iulij 1572. Pontificatus nostri Anno Primo.

*Cæsar Glorierius.*

## BVLLA SANCTISSIMI D. N. D. IVLII PP. II.

Super confirmatione Statutorum Ciuitat. & Fori Mercatorum, ac super diminutione Datiorum, & quod per ordinarios ius reddatur secundum formam dd. Statutor. & quod omnes condemnationes pœnales applicentur, & soluantur Deposit. Cameræ Bonon. & alijs, & in solum vsum, & necessitatibus dictæ Ciuit. conuertantur, & vt solis Ciuibus Beneficia Ecclesiastica conferantur, & prædicta omnia etiam in vim contractus, ac super alijs &c. sublata &c.

IVlius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Et si de cunctarum Ciuitatum temporali dominio Romanæ Ecclesiæ subditarum, statu pacifico, tranquillo, ac prospero, & fœlici regimine cogitare nos deceat, ad nostram tamen Ciuitatem Bononiæ, cuius Ecclesiæ, dum in minoribus essemus, & Cardinalatus fungeremur honore, pluribus annis præfuimus, illiusque ciuium, & incolarum quietem, tantò accuratius aciem nostræ considerationis extendere nos conuenit, quantò illa inter alias dictæ Romanæ Ecclesiæ Ciuitates insignis, & famosa existit, & illius ciues incolæ tàm in expulsione tyranni proximis annis, quàm nuper exercitus Gallorum, dum eidem Ciuitati illam expugnandi, ac illius mœnia adoriendi, & Curiam Romanam inibi residentem violandi causa appropinquasset erga nos, & Apostolicam Sedem sinceræ deuotionis affectum, & inconcussam fidem manifestissimè ostenderunt, & iugi deuotione per quaslibet opportunitates ostendere non desistunt. Vnde eis illa fauorabiliter concedimus, per quæ eorum commoditatibus, & vtilitati valeat salubriter prouideri; vt exinde eorum erga nos, & eandem Romanam Ecclesiam deuotio exaugeatur, cum priuilegijs, prærogatiuis, & gratijs se præ cæteris eiusdem Romanæ Ecclesiæ subditis prospexerint esse munitos. Sanè cum dilecti filij Confalonerij, & Massarij Artium, & populi

populi dictæ Ciuitatis nobis eo, quo conuenit, mentis, & deuotionis affectu integritatem, & fidei constantiam, quas erga nos, & dictam Romanam Ecclesiam, etiam nouissimè in aduentu exercitus Gallorum huiusmodi, gesserunt, & gerunt exposuissent, ac nobis humiliter supplicassent, vt infrascriptas concessiones, & gratias eis concedere dignaremur: non potuimus eorum petitionibus, nisi gratum, & beneuolum præstare assensum. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, vt nullus granum, & seu quodcunque genus bladi in dicta Ciuitate moli faciens, aliquam gabellam per totum mẽsem Decembris proximè futuri soluere, & deinde perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli granum, & blada huiusmodi in dicta Ciuitate moli facientes, pro quolibet corbe grani, seu frumenti librarum centum quadraginta, non nisi duos solidos bononenorum de argento, datij Molendinorum nuncupati, Portarum verò dictæ Ciuitatis datiarijs, seu gabellarijs, pro tempore existentibus, tantum dimidiam gabellam hactenus gabellarijs, seu datiarijs Portarum huiusmodi persolui solitam, soluere teneantur; & propter quamplura damna, & agrorum depopulationes, & hostium incursiones, quæ incolæ, comitatini, & habitatores comitatus dictæ Ciuitatis nuper passi fuerunt, quòd ijdem incolæ, comitatini, & habitatores à solutione, & à qualiber exactione taxarum militibus ad nostra, & dictæ Romanæ Ecclesiæ stipendia militantibus, persolui solitarum; penitus, & in totum per Confalonerios, & Massarios præfatos liberari, & eximi possint. Necnon taxa bouum, & vaccarum per dictos incolas, comitatinos, & habitatores persolui solita, etiam extingui, & in aliud onus, seu grauamen eisdem incolis, & habitatoribus imponendum, ex quo Camera Apostolica tantum percipiat, quantum percipere consueuerat ex dicta taxa, sine tamen ipsius Cameræ præiudicio, prout dictis Confalonerijs, & Massarijs videbitur commutari, & reduci debeat. Et vt in causis tàm ciuilibus, quàm criminalibus, & mixtis in dicta Ciuitate pro tempore agitandis, cognoscendis, & terminandis debitus ordo iuris seruetur, & illæ iuxta iuris formam debitè terminentur, quod causæ ipsius coram Iudicibus ordinarijs dictę Ciuitatis quibus salarium ex publico soluitur cum in fine eorum officij ad syndicatum stare teneantur duntaxat cognosci, & terminari debeant. Et similiter ordinarij executores dictæ Ciuitatis executiones faciant. Et personæ pro tempore captæ à quibuscunque, & quacunque ratione, vel causa ad publicos carceres ducantur iuxta statutorum prouisionem. Et in modo procedendi, cognoscendi, videndi, terminandi, & decidendi, puniendi, mulctandi, in quocunque foro, & à quocunque officiali, tàm ordinario, quam extraordinario, statuta omnia ipsius Ciuitatis obseruentur. Non obstante quacunque consuetudine, vel stilo dictæ Ciuitatis Notatiorum, in contrarium tunc, & pro tempore existentium, & pecuniæ, quæ per quencunque Iudicem, & officialem dictæ Ciuitatis pro tempore ratione pœnæ, vel mulctæ exigerentur penes Depositarium dictæ Cameræ Bonon. deponi, & in Ciuitatis, & Cameræ Bonon. huiusmodi commodum, & vtilitatem iuxta statuta prædicta, conuerti debeant, nec alicui executori, officiali, vel aliæ persone solui, nec ab aliquo executore, officiali, vel persona recipi possint, etiam à sponte dare volentibus, nisi quatenus à statutis disponitur. Etsi aliqua contra præmissa, tam per dictos Iudices, quàm executores, & officiales quoscunque, etiam Apostolicæ Sedis Legatos attentari contingет, nullius sint roboris, vel momenti, etiam absque eo quòd de nullitate per partes, contra quas procedi contigerit, dicatur, & quandocunque de nullitate huiusmodi dici, & allegari, & forum declinari per alium possit, etiam per viam attentari. & vt Potestas dictæ Ciuitatis, & eius officiales pro tempore existentes eorum officia benè, & rectè administrent. Quodque à sententijs per syndicos diuersorum ordinum eiusdem Ciuitatis pro tempore electos appellare, vel aliquo modo ab illis reclamare, aut aduersus eos querelam, vel supplicationem porrigere, seu recursum habere non possint; sed sententiæ ipsæ eo ipso executio-
cutio-

cutioni debitæ demandentur. Quodq. statuta omnia dictæ Ciuitatis, ac Fori, & curiæ vniuersitatis Mercatorum, etiam nouiter edita, & nondum in vsu existentia, ac statuta omnia artium dictæ Ciuitatis, dummodo contra Ecclesiasticam libertatem non tendant, quæ approbamus, & confirmamus, ac de cætero inuiolabiliter obseruari mandamus; ac custodiam arcium, & fortilitiorum in Ciuitate, Diœcesi, & Districtu Bonon. per nos, & Romanum Pontificem, seu dictæ Sedis Legatum pro tempore existentem ciuibus Bonon. duntaxat cum salarijs, & emolumentis consuetis ad biennium, & nō vltra committi, & illi cui semel custodia arcis, seu fortilitij huiusmodi commissa fuerit, non nisi elapso quadriennio illius, vel alterius arcis custodia committi possit, & cōmissiones, & concessiones aliter pro tempore factę nullius sint roboris, vel momenti, & habeantur prorsus pro infectis. Ipsiq. ciues, quibus custodia arcium huiusmodi pro tempore commissa fuerit, in manibus præfati Legati, seu illius locumtenentis, aut Gubernatoris dictæ Ciuitatis pro tempore existentis, fidelitatis iuramentum, ac idoneam cautionem de fideliter arces, & fortilitia huiusmodi custodiendo præstare debeant, & teneantur. Quodque beneficia Ecclesiastica tam in Ciuitate, quàm Diœcesi prædictis pro tempore vacantia, tàm per Sedem prædictam, quàm illius Legatum, & Episcopum Bonon. pro tēpore existentes ciuibus Bonon. seu ciuiū Bononien. filijs dūtaxat conferri possint, & alias de illis factæ collationes, seu prouisiones, etiam per Sedem prædictam, nullius sint roboris, vel momenti, & habeantur prorsus pro infectis: nec vnquam huiusmodi priuilegio derogatum censeatur, nisi dum, & quando in specie, ac de verbo ad verbum fuerit facta expressa mentio, quòd illud per nos populo Bonon. concessum fuit ob deuotionem, & fidem, quas in aduentu exercitus Gallorum ad portas dictæ Ciuitatis erga nos, & Sedem prædictam (vt præfertur) ostenderunt, auctoritate Apostolica, & ex certa nostra scientia, ac potestatis plenitudine tenore præsentium statuimus, & ordinamus; præmissaq. inuiolabiliter obseruari, *ac vt vim contractus inter nos, & Communitatem Bonon. habeant*, ita quod illis nunquam derogari possit, nec derogatum esse censeatur per quascunque clausulas in quibusuis literis Apostolicis, pro tempore appositas decernimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & dictæ Ciuitatis stilo, & consuetudinibus omnibus, tàm præsentibus, quàm futuris, ac prouisionibus Apostolicis, & alijs etiam dilectorum filiorum Quadraginta Virorum status libertatis ecclesiasticæ, ac Sexdecim Virorum reformatorum status dictæ Ciuitatis, præsertim vna de anno 1452. edita, iuramento confirmata, Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, & indultis Apostolicis eisdem Legato Quadraginta, & Sexdecim forsitan concessis, etiam si ad illorum derogationem de illis, eorumq. totis tenoribus de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas, idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, illorum tenores pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis, confirmationis, mandati, statuti, ordinationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo decimo, decimo calen. Decembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

*Sigismundus.*

BVLLA

BVLLA SANCTISSIMI D. N. D. IVLII PP. II.

In qua de nouo conceduntur, & confirmantur contenta in alia eius Bulla, & etiam quod causæ à Ciuitate Bonon. non trahanrur ad Vrbem, & super alijs multis.

IVlius Episcopus seruus seruorum Dei. ad perpetuam rei memoriam. Sincere deuotionis affectus, & inconcussæ fidei constantia, quibus dilecti filij communitas, ciues, ac incolæ, & habitatores Ciuitatis nostræ Bonon.& in illius districtu habitantes erga nos, & Romanam Ecclesiam hactenus laudabiliter claruerunt, & adhuc de bono perseuerantes in melius fulgere noscuntur, spem nobis præstantiorem pollicentes, meritò nos inducunt, vt petitiones eorum, in ijs præsertim, quæ in ministranda iustitia, procul exclusis fraudibus, eiusdem Ciuitatis pacem, & quietem, ac commoda producere valeant, ad exauditionis gratiam fauorabiliter admittamus. Sanè pro parte communitatis, ciuium, incolarum, & habitatorum, ac districtualium prædictorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd licet nuper per alias nostras literas pro vtilitate, pace, commodo, & quiete eorundem communitatis,ciuium,& incolarum aliàs statuerimus, & ordinauerimus, quòd omnes lites, causæ, & controuersiæ dictæ Ciuitatis per ordinarios, secundum statuta ipsius Ciuitatis deputatos Iudices cognosci, & decidi deberent, tamen à nonnullis quærentibus subterfugere, & aduersarios sumptibus,& expensis fatigare, & eos ita cogere, vt à persecutionibus iurium suorum desistant, non valentes in curia inopia, & alijs diuersis de causis litigare, & tàm in prima, quàm vlterioribus quotcunque instantijs protrahere nituntur, causarum commissiones, & etiam ab interlocutorijs, & processu ad vlteriora, & alijs quandoque factis grauaminibus appellantes, Iudices suspectos accusantes, aduocationes causarum, & citationes cum inhibitionibus à nobis, & in curia, ac etiã in foro Auditorij Rotæ fieri, & quandocunque aduersarios eorum supplantantes, & quandoque præcurrentes causas in partibus illis minus peritis, & inexpertis, ac alias impetratis fauorabilibus Iudicibus committi obtinere procurant, atque nonnulli prætextu absolutionis à iuramentis, per eos instrumentis appositis, de instrumentorum fictione, & simulatione, & quòd in fraudem vsurariæ prauitatis, vel quod sub spe futuræ traditionis, vel numerationis habuisse confessi fuerunt, ab Ecclesiastico inhibitionis decreto obtento, instrumentorum executiones per laicos Iudices fieri debitas protelare, & euitare nituntur; quodque instrumenta, quæ secundum prouisiones superinde editas registrari debent, ob temporum calamitates, & alijs diuersis de causis registrata, & præsentata non fuerint, & de illorum inualiditate propterea deduci possit; & quamuis ex superinde editis statutis, & prouisionibus in causis ad sententias deueniri non debeat, nisi authentico registro processus Iudicibus per Notarium dato, quod in desuetudinem abijt, quo fit, vt inde multa scandala oriantur, cum sæpenumero occultentur, & deperdãtur originalia processuum, & faciliùs detur materia falsitatum committendarum, Iudicibus quoque de meritis causarum, & validitate processuum ita liquidò, sicut decet, constare non possit, in grauissimum eiusdem populi damnum, & detrimentum. Quare pro parte dictorum communitatis, ciuium, & hominum, ac incolarum nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis super ijs opportunè prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, ad quos spectat prouidere, ne fraudes, & detrimenta, præsertim in eadem Ciuitate nostra, & illius comitatu fiant, talium personarum audaciam comprimere, ac communitatem, ciues, incolas, & homines prædictos, quos ob eorum singularem erga nos, & S. R. E. statum, fidem, & deuotionem, peculiari dilectione prosequimur, ab huiusmodi fraudibus, damnis, & incommodis releuare volentes, ac eorum singulos à quibuscunque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac alijs Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomo-

dolibet

dolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; huiuſcemodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuæ conſtitutionis edicto ſtatuimus, & ordinamus, quod omnia, & ſingula ſtatuta, & ordinamenta, de quibus in alijs dictis noſtris literis fit mentio, legitimè tamen hactenus duntaxat edita, & facta, de cætero inuiolabiliter obſeruentur, & ſecundùm in illis diſpoſita, per iudicentes, de quibus in eiſdem tantum iuſtitia miniſtretur, etiam ſi contractus, vel inſtrumenta contra alicuius eorum diſpoſitionem, & formam ad illorùm validitatem iuramentis firmata, & roborata reperirentur. Quodque nullus ciuis, incola, vel habitator Ciuitatis, & comitatus eorundem tàm in prima, quàm in ſecunda inſtantijs coram alio Iudice, vel alijs Iudicibus, quàm à ſtatutis ipſis deputatis ad iudicium, ſiue actor, ſiue reus fuerit, nullatenus trahi, & per Iudices ipſos ſecus, vel aliàs, quàm per ſtatuta ipſa diſponitur, procedi, decidi, & iudicari poſſit, ſub pęnis in ipſis ſtatutis cominatis; & ſic tractos ad comparendum non teneri; & contra, vel præter prædicta facta quæcunque nullitatis vitio ſubiacere, & de nullitate huiuſcemodi quandocunque etiam ſi de executione tractaretur, obijci poſſe. Et vt cauſarum commiſſiones, quæ à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, & alijs quibuſcunque à Sede Apoſtolica poteſtatem habentibus, & habituris, vel aliàs quomodocunque cuicunque Bononiæ commoranti factæ fuerint, cenſeantur, & ſint, & habeantur ipſo iure pro factis, commiſſis, & deuolutis ad Priorem Collegij dictorum Iudicum dictæ Ciuitatis, cum quatuor per eum de Doctoribus dicti Collegij eligendis conſultoribus datis à partibus ſuſpectis, & confidentibus, & partibus non concordantibus per ipſum Priorē, & eoſdem audiendæ, & decidendæ perinde, ac ſi literæ, ac commiſſiones ipſæ eiſdem Priori, & conſultoribus directæ, & factæ fuiſſent. Et quòd per laicos Iudices inſtrumenta, aliàs ſecundum iuris, & ſtatutorum prædictorum diſpoſitiones exequenda, reiecta quacunque inhibitione per Eccleſiaſticum Iudicem ſibi facienda, occaſione peritæ à iuramento abſolutionis, & deductæ fictionis (firmo tamen manente proceſſu, & illius proſecutione coram ipſo Eccleſiaſtico, etiam in euentum ſententiæ in fauorem abſolutionem petentis, & fictionem, & ſeu non numerationem de ducentis cum exequenda fuerit) debitæ executioni demandentur: præſtita tamen per executiones inſtrumentorum petentes, ſi non obſtante inhibitione Eccleſiaſtici Iudicis ad executionem per laicos procedi voluerint, idonea cautione de parendo, & exequendo quicquid per dictum Iudicem Eccleſiaſticum poſtea iudicabitur. Quodq. Iudices in aliquibus cauſis, ſummam librarum vigintiquinque bononen. excedentibus, ſententias ferre non poſſint, niſi habito prius à Notario proceſſus regiſtro autentico. Cui Notario de competenti mercede à ſtatutis ipſis ordinata, à partibus ſatisfieri debeat; & ab altera ex partibus vera, & integra mercede ſoluta, habita cedula ab ipſo Notario de eo, quod ſolutum fuerit, parte ipſa non ſoluente, ipſi parti, quæ ſoluerit, infra decendium, poſt quam de mandato Iudicis, coram quo cauſa ventilabitur, interpellata fuerit, ſtatim ſecuturum, pars ipſa non ſoluens partem ſuam dicti regiſtri, realiter, & perſonaliter ad partis ſoluentis inſtantiam, de mandato eiuſdem Iudicis grauari, & compelli poſſit. Necnon per quencunque Eccleſiaſticum iuriſdictionem habentem excommunicari, ac donec ſoluerit audiri non debeat, & in eius fauorem ſententia ferri non poſſit. Et inſuper Correctori, & Conſulibus ſocietatis Notariorum, ac Superſtiti Regiſtri eadem Apoſtolica auctoritate poteſtatem, & facultatem concedimus prouidendi, quod non regiſtrata inſtrumenta regiſtrentur, & validentur, & pro futuris etiam ſtatuendi, ita & taliter, quòd omnino regiſtrentur, ſine tamen alicuius præiudicio, & quoad futura duntaxat. Quodq. conceſſionibus, & literis huiuſmodi derogari non poſſit decernimus, & declaramus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis alijs, quæ in prædictis alijs

 no-

nostris litteris volumus non obstare, cæterisq. contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, statuti, ordinationis, decreti, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Rauennæ Anno Incarnationis Dominicæ 1510. octauo Idus Martij. Pontificatus nostri Anno Octauo.

*Sigismundus.*

## BVLLA SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XIII. Vt beneficia Ecclesiastica Bonon. alijs, quàm ciuibus Bononien. & ipsorum Ciuium filijs conferri non possent.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei. ad perpetuam rei memoriam. Ingenita nobis charitas erga Ciuit. nostram Bonon. in qua nati, educati, atque instituti sumus, nos hortatur, vt priuilegia illi concessa maximè omnium tueamur, perpetuoq. robore solidemus. Etenim fel. rec. Iulius Papa II. prædecessor noster perspecta semper dictæ Ciuitatis erga se, & Apostolicam Sedem fide, & præcipuè tempore, quo Gallicus exercitus ad Portas eiusdem irruebat, summo ipsam iuuandi, seque gratum ostendendi studio, post alia multa priuilegia à se illi concessa, ex certa scientia sua, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuit, & ordinauit, vt beneficia Ecclesiastica Ciuit. & Diœcesis Bonon. pro tempore vacatura tàm per sedem prædictam, quàm per eius Legatos, & Episcopum Bonon. alijs, quàm Ciuibus Bonon. seu Ciuium Bonon. filijs conferri non possent: & aliàs de illis pro tempore factæ collationes, & prouisiones, etiam ab ipsa Sede emanatæ, nullius essent roboris, vel momenti, & haberentur penitus pro infectis: nec huiusmodi priuilegio derogatum esse censeretur, nisi in specie, & ad verbum expressio facta foret, quod illud per eundem prædecessorem populo Bonon. concessum extitisset, idq. ad deuotionem, & fidem, quas in aduentu exercitus Prædicti ad Portas Bonon. vt præfertur, ostenderant. Decernens præmissa vim contractus inter se, & Communitatem Bonon. habere, & inuiolabiliter seruari: necillis, etiam per quascunq. clausulas in quibusuis literis pro tempore appositas, derogari, nec derogatum censeri posse; prout in suis literis desuper confectis plenius continetur. Nos itaque, quibus satis liquet Ciuitatem nostram prædictam viris in omni doctrinæ genere, & præsertim Theologiæ, præditis, abundare: nec ad Ecclesiatum ipsarum gubernationem extraneis indigere; statum, & ordinationem prædicta cum eo, quod præsentibus adijcitur, moderamine auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Decernentes illis, siue propter multiplicatas collationes, & alias dispositiones de dictis beneficijs, etiam per eandem Sedem extraneis postmodum factas, etiam effectum sortitas, siue propter alias quascunque causas, nullum omnino præiudicium generari, sed eis non obstantibus ipsa in pristino suo robore permanere. Et nihilominus auctoritate, scientia, & potestatis plenitudine huiusmodi etiam statuimus, ac prædictis Ciuit. & Ciuibus perpetuò concedimus, vt nulla omnino beneficia Ecclesiastica cum cura, vel sine cura, secularia, & quorumuis ordinum, etiam exemptorum, regularia qualitercunque qualificata, necnon hospitalia Ciuitatis, & Diœcesis prædictarum ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamcunque aliam dispositionem pro tempore existentis Archiepiscopi, & Capituli Bonon. ac quorumcunque aliorum collatorum, & collatricum secularium, & regularium in eisdem Ciuit. & Diœcesi, & aliàs vbicunq. existentium communiter, vel diuisim, ac alias quomodo-

modocunque pertinentia, quibusuis modis, & ex quorumcunq. personis, etiam apud Sedem ipsam pro tempore vacantia, etiam si illa propterea, ac etiam alias ex quibuscunque causis dispositioni apostolicæ specialiter, vel generaliter reseruata, seu affecta, vel deuoluta fuerint: beneficia Ciuitatis videlicet alijs, quàm Ciuibus Bonon. ac Ciuium Bonon. filijs: beneficia verò Diœcesis alijs, quàm eisdem Ciuibus, aut Diœcesanis Bononien. conferri, seu commendari, vel alias concedi possint. Et si Ciuem, & Diœcesanum super eodem beneficio concurrere contingat, & ambo in iure, & alijs, quæ attendenda essent, adeo æquales fuerint, vt non appareat cui beneficium magis adiudicandum sit, tunc Ciuis Diœcesano debeat anteferri. Decernentes collationes, commendas, & quascunque alias dispositiones alienigenis, tàm per Rom. Pontificem, & dictam Sedem, eiusq. Legatos, etiam de latere; quàm Archiepiscopum, Capitulum, Collatores, & Collatrices prædictos, etiam tamquam delegatos, etiam cum præsentium, dictiq. prædecessoris literarum insertione, ad effectum plenæ, & sufficientis derogationis earum, etiam motu proprio, ac scientia; & potestatis plenitudine similibus perpetuò, vel ad tempus pro tempore factas, nullas, & inualidas, nulliusq. roboris, vel momenti fore, nul'umq. per eas ius, seu etiam coloratum possidendi titulum cuiquam tribuire posse; Necnon irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & ordinum quorumcunq. iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis: statutis, & consuetudinibus, etiam per longissimum temporis cursum in contrarium obseruatis: necnon quibuscunque dicti Iulij prædecessoris priuilegij reuocationibus, suspensionibus, vel modificationibus, ac causis, etiam illud ipso iure nullum, atque irritum facientibus: quod nihilominus aduersus hæc omnia, & quæcunq. alia illi aduersantia in integrum restituimus, validumq. esse volumus: priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscunq. tenoribus, & formis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret illorum tenores, ac si ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ad effectum omnium præmissorum specialiter, & expresse derogamus, contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, communitionis, statuti, concessionis, decretorum restitutionis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit: indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo octuagesimo Quarto, Calẽdis Maij, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

*Cæsar Glorierius.*
*M. Car. S. Stephani.*
*A. de Alexijs.*

BREVE SANCTISS. D. N. D. CLEMENTIS PP. VIII. Confirmat. literarum Gregorij XIII. vt Ecclesiastici ad opera publica concurrant.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam Benedictionem. Aliàs à fel. rec. Greg. Papa XIII. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet.

Ad perpetuam rei memoriã; nostro incumbere videtur officio, qui Iustitiæ in terris moderatores sumus, ne aliqui plusquam pars virilis eorum postulat oneris suscipere cogantur, prouidere, præsertim cum onera in partes diuisa facilius supportentur. Sanè exponi nobis nuper fecerunt dilecti filij Quadraginta Viri Præsidentes Regimini Ciuitatis nostræ Bonon. pluries Monasteriorum, & Domorum viros, ac Moniales, & alios quibus Hospitalium, piorumq. locorum cura imminet, necnon eorum colonos, prædiorumq. cultores, seu affictuarios quocunque nomine nuncupatos ab ipsis requisitos fuisse, vt veluti commodis excauandi loca, aquas ducendi, arginum, pontium, stratarum, viarumque & alijs his similibus, ad publicam, seu alias inter aliquos communem vtilitatem factis operibus vtuntur, & gaudent, sic illi etiam, vel ad illa paranda, vel reparanda, seu reficienda, contribuere vellent, quod ijdem facere semper recusarunt, & in hunc vsque diem recusant; diuersis sub prætextibus, & præsertim, quod ab ipsis publicis, seu communibus expensis, & operibus immunes, ac exempti sunt; licet enim sicut eadem expositio subiungebat, alias fel. rec. Pius Papa V. prædecessor noster, per binas literas dilecti filij nostri Michaelis Tituli Sanctę Mariæ super Mineruam Presbyter Cardinalis Alexandrini nuncupati, dilecto etiam filio nostro Alexandro Tituli S. Mariæ in Via Presbytero Cardinali Sfortiæ nuncupato, tunc in Ciuitate prædicta Sedis Apostolicæ de latere Legato significauerit, quod pro rata, qua cuiusque ordinis seculares, vel regulares quantumuis exemptæ personæ, illorumq. res, & bona ex omnibus prædictis publicis operibus commodum, & vtilitatem in his omnibus ad conferendum, & contribuendum eosdem compelleret, quod etiam in alijs pijs locis obseruari voluit: tamen Religiosi, & alij omnes prædicti ad solutionem euitandam quotiescunque se occasio tulit, non solum de priuilegijs, exemptionibus, & alijs indultis sibi concessis exceperunt. Verum ad illam euffugiendam controuersias, & lites plures coram varijs in Ciuitate prædicta ius dicentibus introduxerunt; quare nobis supplicari fecerint Quadraginta Viri prædicti ne ea, quæ iuri, æquitatiq. maxime conueniunt in ius, vel controuersiam deduci quoquo modo in eorundem publicorum operum, & in eis ius, ac interesse habentium damnum, & iacturam pateremur, & in futurum circa præmissa prospicere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, causas omnes præmissorum occasione coram quibuscunq. Iudicibus prædictis, & in quocunque foro, ac in quacunque instantia existentes, ad nos harum serie aduocantes, ac lites, & controuersias super præmissis ortas, etiam si in eis ad aliquos actus deuentum fuerit in quocunque statu illi sint extinguentes, perpetuumq. silentium super præmissis imponentes, quod quicunque Religiosi cuiusuis, tam mendicantium, quàm non mendicantium, Ordinum, Domorũ, & Monasteriorũ quorumcunq. ac Hospitalium, & piorum locorum, aliæq. omnes prædictæ personæ quantumuis priuilegijs amplissimis, & exemptionibus suffultæ, & Monasteria, Domus, & pia loca, ac Hospitalia prædicta ratione bonorum, quæ ad eos spectant, & pertinent, ac per eos possidentur in Rheni, Sapinæ, Idicis, necnon Samodiæ, Genæ, Rioli, scu sorij Dosij, Fossæ del Signor nuncupat. Cauamenti Sancti Ioannis in persicetto, Cala muschi, Flumicelli, Lorganæ, necnon Centenariæ, & aliorum omnium Ciuitatis, illiusq. Comitatus vniuersi Riuulorum, illorumque aluei, fossarumque reparatio neconferre, ac onera ratione quorumcunque fluminum, canalium, scursuriorum, ac alimrum aqueductuum, & publicarum fossarum quocumque nomine nuncupatorum ob publicas aquas, vel inter aliquos Communes excipientium, aut ad aquas ex prædijs arcendis constructorum, vel in posterum construendorum, ac pro vijs, seu stratis reparandis, seu de nouo construendis, pontibus, & alijs publicis, vt præfertur operibus faciendis, & reparandis imposita pro rata, habita ratione prædiorum, quę ex huiusmodi operibus commodum sentient, subire debeant, & teneantur perpetuo, Apostolica aucto-

L 2 ritate

ritate statuimus, & ordinamus. Dantes, & concedentes per presentes facultatem, & auctoritatem pro tempore dictæ Ciuitatis Gubernatori, Legato, siue Vicelegato, iura redden. in Ciuitate prædicta: necnon Assumptis, & Præsidentibus super huiusmodi oneribus legitimè assistentibus, & deputatis de consensu, & auctoritate pro tempore dictæ Ciuitatis Gubernatoris, seu Legati, vt solitum est contra eos, qui in huiusmodi solutionibus difficiles se exhibebunt, etiam per captionem pignorum, illorumque subhastationem, & alia à iure constituta remedia summariè, simpliciterq. facti, duntaxat veritate cognita procedendi, eosdemq. soluere directè, vel indirectè recusantes iuris, & facti remedijs opportunis cogendi, & compellendi vsque ad integram eisdem legitimè constitutam, & in codicibus, Campionis vulgo nuncupatis, super huiusmodi publicis, seu inter aliquos communibus operibus contentam summam, & portionem, prout alij, qui contribuere solent, si ad id se redderent, difficiles ad soluendum, astringi possent, sicq. in præmissis omnibus, & singulis per quoscunq. Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate, etiam Legati de latere fungentes, sublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi auctoritate, iudicari, deffiniri, & interpretari debere; necnon si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, Domorum, & Ordinum, Hospitaliumq. & aliorum piorum locorum, prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, illorumq. Superioribus, & personis, etiam Marimagno, ac Bulla Aurea, vel quouis alio nomine nuncupatis, in genere, vel specie concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expresis, sufficienterq. insertis habentes illis, alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, derogatumq. latissimè esse, & censeri volumus, & declaramus. Cæterisq. contrarijs, quibuscunque, Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 11. Iulij 1573. Pontific. nostri Anno Secundo. Cum autem sicut pro parte dilectorum filiorum Vexilliferi, & Virorum Reformatorum status Libertatis eiusdem Ciuitatis Bonon. Nobis nuper expositum fuit multi ex Religiosis, & alijs forsan particulares, prætextu exemptionum, & priuilegiorum ipsis à Sede Apostolica concessarum, taxam illis pro ratione bonorum ab eis possessorum quibus ex reparatione fluminum, & alijs præmissis commodum prouenit, impositam exolueri recusent, in graue aliorum præiudicium. Propterea ne quotidie ea de causa litibus, & controuersijs inuolui opporteat pro parte eorundem Vexilliferi, ac Virorum Reformatorum, nobis humiliter supplicatum fuit, quatenus in præmissis de opportuno remedio prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur explorati iuris esse attendentes, vt qui sentit commodum, debeat etiam sentire incommodum, & publicam vtilitatem priuatis rationibus præferendam esse censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati præinsertas Gregorij prædecessoris literas confirmantes, & innouantes, tibi per præsentes committimus, & mandamus, vt quoscunq. vigore exemptionum, aut priuilegiorum quantumuis amplissimorum, taxam eis pro reparatione fluminum quorumcunque in Agro Bonon existen. ratione bonorum ab eis possessorum, quibus ex huiusmodi reparatione commodum aliquod prouenit impositam soluere recusantes, etiam Ecclesiasticos tàm seculares, quàm cuiusuis Ordinis Mendicantium, aut non Mendicantium, ac Instituti Regulares vtriusq. sexus, ad huiusmodi taxam persoluendam opportunis iuris, & facti remedijs appellatione, & recursu, ac subterfugijs quibuscunque omnino remotis, ac posspositis, auctoritate nostra Apostolica, cogas, & compellas, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibuscunq. priuilegijs, indultis, & lite-

ris Apostolicis sub quibusuis, etiam derogatoriorum derogatorijs, alijsq. efficacioribus, & efficacissimis, ac insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis quibusuis ex prædictis, ac eorum Ordinibus, Congregationibus,& institutis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, Quibus omnibus & singulis eorum tenores præsentibus pro expressis habentes ad hunc effectum specialiter, & expresse derogamus, easq. illis, aut cuicunque illorum, quo ad præmissa nullatenus suffragari posse volumus, & declaramus, necnon omnibus illis, quæ in præinsertis literis prædictus Gregorius voluit non obstare, cæterisq. contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Martij 1600. Pontificatus nostri Anno Nono.

*M.Vestrius Barbianus.*

Ordine di Papa Paolo V. che si osseruino li sudetti Breui.

A tergo. *All'Illustrissimo, & Reuerendissimo Sig. mio osseruandissimo il Sig. Cardinal Capponi Legato di Bologna.*

Intus. *Illustriss.& Reuerendiss.Sig.mio osseruandiss. Si hebbe ricorso questi Mesi adietro alla Santità di N.S. da i Regolari di cotesta Città, dolendosi, che erano grauati à contribuire alle spese della reparatione delle strade, ponti, fiumi, fossi, argini, & altre opere simili contro la forma de i loro priuilegi, & se bene questa istessa dificoltà è stata eccitata da gl'istessi Regolari, & ventilata più volte in diuersi tempi, & sempre sono stati ributati, essendosi ordinato di quà con più lettere, che continuassero à contribuire, nondimeno Sua Santità vsando della sua benignità per dargli maggiore sodisfattione hà voluto, che siano intesi di nuouo, & doppo l'esser stata fatta matura consideratione sopra tutto quello, che è stato dedotto à loro fauore, & hauerne voluto Sua Santità istessa piena relatione, mi hà comandato, ch'io significhi à V.S. Illustriss. che in conformità de gli ordini dati altre volte, faccia osseruare, & esseguire il Breue di Papa Gregorio XIII. concesso sopra questa materia ad instanza del Reggimento l'anno 1573. confirmato poi, & rinouato da Papa Clemente VIII. & le bacio humilmente le mani. Di Roma li 21. Nouemb. 1614. Di V.S. Illustriss.& Reuerendiss. Humiliss. Seruit. Il Cardinal Borghese.*

*Product. &c. in Actis, & registrata &c.*
*Horat. Castellanus Not. &c.*

## CONSTITVTIONES, ET PROVISIONES

Super concernentibus Ius Congrui, seu aliàs Prothomiseos appellati. Editæ de Anno M. D. LXXXVI.

*Quæ hodie reperiuntur confirmatæ per S.D.N. Gregorium PP XV. per Breue de quo supra.*

Summa Capitum in hac lege Congrui contentorum.

1 *Deputatio Iudicum, & executorum, à quibus non est appellatio.*
2 *Pro ornanda Ciuit. & pro deformitate tollenda cogi possint domini domorũ ad vendendũ.*
3 *Aedificans possit muro propinquo vti, soluta medietate pretij.*
4 *Domini non habitantes domos, cogi possint ad vendendum vicino fabricare volenti nobilius domo vendenda, cum augmento duodecima partis æstimationis.*
5 *Domini, etiam habitatores, domorum cogi possint ad vendendum vicino fabricare volenti longe nobilius, cum augmento quinta partis æstimationis.*
6 *Emptor cogatur ad emendum totam domum vicini, casu quo non caperet commodam separationem, cum augmento decima partis pretij.*
7 *Fabricantes se liberare possunt ab emphyteoticis, & rebus Ecclesiasticis, assignando rem æquiualentem.*

8 *Fa-*

8 *Fabricantes item se liberare possunt à fideicommissis, dando surrogationẽ aequivalentem.*
9 *De terrenis in Comitatu, nimis propinquis aedificio nobili, vendendis.*
10 *Locus, & aedificium nobile quale intelligatur.*
11 *Terrena nimis propinqua quae intelligantur.*
12 *Vt domus nobilis dominus possit cogere vicinum ad vendendum partem aliquam terreni, requiritur adhuc vt habeat sub se saltem duplo plus terreni.*
13 *Vicinis pluribus concurrentibus ad emendum terrenum tertij, quis praeferatur.*
14 *Vicinis pluribus concurrentibus in fabricando, quis praeferri debeat.*
15 *Terminus praefigitur ad fabricandum, & poena non adimplentibus.*
16 *Terminus alius, & poena deludentibus.*
17 *In casibus hic non comprehensis, siue dubijs, recurratur ad Bullam Papae Gregorij XIII. Reservatis tamen Statutis Bonon. sub rubricis hic insertis.*

# Die Iouis 18. Decembris 1586.

CONgregatis Illust. DD. Quadraginta Reformatoribus status Libertatis Ciuitatis Bonon. in numero xxviij. in Camera Illustriss. & Reuerendiss. D. Henrici Cardinalis Caetani Bononiae Legati, in eius praesentia, ac de ipsius consensu, & voluntate, inter eos infrascriptum partitum positum, & obtentum fuit, videlicet.

Cupiens Senatus, quae publicè vtilia, & decora Ciuitati Bononiae noscuntur, priuatis cupiditatibus, & commodis praeferri, sanctissimis vestigijs tot Romanorum Pontificum inhaerendo, & praesertim fel. record. Sixti Tertij, Leonis Decimi, Pij Quarti, Pij Quinti, ac Gregorij Decimitertij: Serenissimorumq. Imperatorum, & praesertim Federici, qui admodum ornatus Ciuitatum, conseruationemq. Iuris Congrui, Prothomiseos dicti, per plures eorum bullas, sanctasq. leges, & constitutiones obseruari enixè curarunt. Et non immeritò, cum ex hoc Ciuitates, & loca illustrentur, Respublicae augeantur, diuitijs, & hominibus repleantur. Quod valde Sanctiss. Domini N. Sixti Quinti Principis nostri, & illius S. Sedis, & Ciuitatis praedictae Bonon. interest: pro conseruationeque & innouatione statutorum Ciuitatis praedictae Bonon. ac plurium prouisionum superinde editarum, quae in publicò Archiuio hactenus conseruantur. Sicut tamen diuersorum temporum necessitas, & variatio expostulat, opportunè ex praesenti Senatus Consulto prouidendo, sanxit, per suffragia omnia fauorabilia xxviij.

1 Primò, quod exequutores tam prouidae legis sint perpetuo, Illustriss. Dominus Iustitiae Vexillifer, Illustresq. Domini Assumpti Ornatus dictae Ciuitatis, qui simul cum Illustriss. & Reuerendissimo D. Legato, & Gubernatore, seu Vicelegato pro tempore praesente, habeant iurisdictionem audiendi, cognoscendi, terminandi, & exequendi. Ita quod quicquid quandocunq. statuerint, iusserint, declarauerint, & ordinauerint, debitae executioni per ipsos mittatur, omni appellatione, restitutione, recursu, & defensione quacunq. penitus remota, & cessantibus. Ita tamen quod si in casibus occurrendis de aliquibus bonis alicuius Monasterij, Ecclesiae, vel loci pij ageretur, pro interesse huiusmodi, assensus quoque Illustriss. & Reuerendiss. pro tempore Archiepiscopi Bonon. & in casu illius absentiae à Ciuitate Bonon. Reuerendi illius Vicarij generalis accedat, & obtineatur, antequam ad aliquam executionem in praedictorum Monasteriorum, Ecclesiarum, & piorum locorum praeiudicium procedatur.

2 Secundò, voluit Senatus praedictus, quòd qui pro tempore Iudices Ornatus huiusmodi fuerint, in quacunque Ciuitatis Bonon. parte necessarium, atque vtile fore cognouerint, possint pro vijs, plateis, alijsq. locis publicis, siue veteribus dirigendis, & ampliandis, siue nouis ducendis, & construendis, cogere dominos domorum, & locorum

rum

rum quorumlibet tàm Ecclesiasticos, quàm seculares, quacunque dignitate præditos, vt vendant prædictis Illustrib. Dominis Deputatis, aut Syndico Cameræ Bonon. domos, & loca, seu eorum partem, iuxta publici huiusmodi causæ indigentiam, quæ ipsi Domini Vexillifer, & Assumpti, cum ipso Illustriss. D. Legato ad id necessaria duxerint, siue Domini ipsi illa habitent, siue alijs locare soliti sint, pretio à suprascriptis Dominis Deputatis statuendo. Pariterq. vbi aliquas ruinas in ipsa Ciuitate, quandocunq. adesse perceperint, aut loca aliqua aperta, vijs publicis hærentia, deformitatem, atque incommoditatem afferentia, curent celeriter sarciri, & accommodari, etiam grauibus pœnis propositis Dominis domorum, & locorum huiusmodi, nisi breui, ipsorum arbitrio, præfinito tempore, domos, & loca huiusmodi ab eis possessa clauserint, eleuauerint, & reduxerint ad eam formam, quam locorum huiusmodi Dominis præscripserint: Et maximè habita ratione modulorum cæterarum domorum, quæ in ea vicinia sunt formosiores, & recentiores.

3 Tertiò, statuerunt pro priuatis ædificijs, aut nouis construendis, aut veteribus ampliandis, siue resarciendis, licere cuicunq. quouis muro sibi propinquo liberè vti, eiq. tigna, lapides, aliamq. materiam ædificij sui, totumq. ipsum ædificium iniungere, & annectere, etiam si murus is ad vicinum suum totus pertineat: persoluto tamen eiusdem muri dimidio pretio, ad eam æstimationem, quam duo periti, quorum singulos singulæ partes elegerint, & illis discordantibus, ipsi Domini, vt supra Deputati, declarauerint: & obtenta etiam priùs à suprascriptis Deputatis Iudicibus, & executoribus licentia: quam ipsi in concedendo considerabunt, vt nullatenus detur, nec petenti concedatur, si æmulatio, luminum offuscatio, loci turpitudo, vel aliud graue præiudicium arbitrio ipsorum versetur.

4 Quartò, si quis domum, fundum, solumue, habens in Ciuitate Bonon. voluerit ædificare: prædicti Domini Iudices, & executores cogant vendi domos, aliaq. loca eidem domui, fundo, soloq. vicina; si domini ipsarum domorum non habitent, sed illas locare soleant; si ipsi Domini Iudices, & Deputati iudicauerint vtilia, & necessaria esse domino ita fabricare volenti: & tunc pro pretio iusto, vt supra arbitrando, ac vlteriùs eo aucto in duodecima parte, vltra æstimationem, modo prædicto faciendam. Et hæc dummodo ædificium construendum sit nobilius ipsa domo, vt supra destruenda, & vendenda.

5 Quintò, Et nihilominus si ædificium fabricandum insigne futurum sit, eique perficiendo aliqua domus, etiam à domino habitata, vel hortus, aliusuè locus muris clausus opportunus cohæreat, eo casu (dummodo iam cæptum sit fabricari, & ędificium fabricantis, saltem à duobus lateribus, cohæreat domui, horto, vel loco huiusmodi: ædificiumq. quod fabricatur, in quadrupulum excedat valorem, & æstimationem domus, horti, vel loci vicini) cogant dominum, etiam sic habitantem, vt domum, hortum, vel locum vendat, aucto tamen dicto pretio ad quintam eius partem, dataq. ipsi domino vnius anni dilatione, post factam venditionem, quo interim ibi permanens, aliam sibi habitationem parare possit.

6 Sextò, Et quatenus in vtroque præmissorum casuum solùm portio domus, horti, vel loci ad fabricam necessaria esset, neque ob id portio, quæ remanet, inutilis, vel incommoda redderetur, cogant ipsi Domini Iudices ad eam solùm partem (cum augmento prætij, vt supra) vendendum. Aliàs si inutilis, vel incommoda portio remanens, arbitrio ipsorum, efficeretur, cogant huiusmodi fabricantem totum emere, modis, pretio, & forma vt supra, cum augmento tunc decimæ partis tantùm.

7 Septimò, si quis domum, aliumue fundum, aut solum in emphyteusim, aliumue titulum perpetuò, vel ad vnius, aut plurium personarum vitam, pro annuo canone, aliaue responsione, concessum habeat, à quibusuis personis, locisue, etiam Ecclesiasticis, ibiq.

biq. ædificare vellit, liceat eisdem DD. Iudicibus, & Deputatis, eo petente, domum, fundum, aut solum huiusmodi, ab eius directi domini (licet nolentis) proprietate, dominio, ac iure; necnon à canonis, seu responsionis præstatione, eximere, & liberare, alia re stabili in Ciuitate, aut Comitatu priùs constituta, pretij, commoditatis, redditus, ac bonitatis, saltem paris: quæ loco illius liberatæ sit, quò ad omnia, & ad eundem directum dominum ratione proprietatis, dominij, deuolutionis, & aliàs cuiuscunq. iuris, & oneris eisdem modo, & forma pertineat, quibus illa pertinebat: translato quoq. ad istam huiusmodi canone, siue responsione, cum augumento quintæ illius partis. Et insuper præstita idonea cautione, & etiam facta per illum, qui ædificaturus est, obligatione omnium suorum bonorum, tum quòd res, in quam facta est huiusmodi translatio, libera est, tùm etiam de euictione in ea forma, quæ Bonon. præstari solet.

8 Octauo, prædictis omnibus addito, quod in omnib. casibus tàm suprascriptis, quàm infrascriptis, si aliquod fideicommissum, quantumuis amplum, sub quauis forma verborum conceptum, & sub quacunq. amplissima prohibitione alienationis, etiam si esset factum in fauorem Ecclesiæ, & piæ causæ, detegeretur: eisdem Domini Iudicibus, & Deputatis, liceat ab eisdem omnibus fideicommissarijs oneribus omnia, quæ in casibus suprascriptis, & infrascriptis vendi facient, & fabricari concedent, eximere, & liberare: dummodo ex pretio res alia ematur, vt prædictum est, pretij, redditus, & bonitatis saltem paris, quæ subrogetur, & subrogata sit in omnibus, & per omnia loco, & in locum rei fideicommisso subiectæ, & cum fideiussoribus (vt dictum est in præcedenti capite) ad defensam, etiam per ementem, & fabricantem promissione facienda, sub obligatione omnium suorum bonorum, quod res ipsa subrogata, libera sit, & de euictione in ea forma, quæ Bonon. præstari solet. Et subrogatione huiusmodi facta, qui emerint, fabricauerintuè, vt supra, deinceps in perpetuum, & illorum quicunque successores molestari non possint, sub cuiusuis fidei commissi prætextu.

9 Nono, quoniam non minor ratio versatur, vt quoq. in prædijs ruri positis ornatus, dignitates, & amplitudines conseruentur, & augeantur: sanxit Senatus, quod si aliqui in Comitatu Bonon. habuerint ædificium aliquod nobile, vel considerabile, & terrena vicinorum essent simili ædificio impedimento, quia nimium ædificio proxima essent, adeo vel quòd domus amplitudinem impedirent, aut prospectum, vel facultatem construendi vias, vel alia ornamenta auferrent: ijdem Domini Iudices, & Deputati valeant, & possint quascunq. personas, etiam Ecclesiasticas, & quantumuis priuilegiatas, cogere, habentes huiusmodi terrena, ad vendendum sic habentibus domos nobiles, & notabiles, vel de nouo ædificare, & facere volentes, eam partem, quam ipsi Domini Iudices, & Deputati iudicauerint necessariam, ad commoditatem, & ornamentum huiusmodi notabilis ædificij facti, vel construendi: ea semper consideratione adhibita, ne ex diminutione dictæ partis residuum remaneret cum magno incommodo, & damno ipsi vicino: quo in casu, nedum partem, sed & totum cogatur emere, si vicinus totum vendere maluerit: & in omni casu venditionis, ac venditionum huiusmodi, cogantur ementes soluere iustum pretium, æstimandum per duos peritos, vt supra, & illis discordantibus, pro pretio taxando ab ipsis DD. Iudicibus, & Deputatis; & vlteriùs cum augmento quintæ partis valoris taxati, eo in casu, quo portio tantùm vendatur, quod si totius alienatio, & venditio, vt supra fiat, tunc portio vltra prætaxatum pretium augeatur in duodecima parte.

10 Decimò, declarantes, quòd pro ædificio nobili, & considerabili, Senatus intelligit domum honorabilem, conuenientem viro nobili, separatam ab habitatione colonorum, cum appartamentis mansionum nobilium, arbitrio ipsorum Dominorum Iudicum, & Deputatorum.

11 Vndecimò, declarantes quoq. intelligere terrena vicinorum restrictionem, & impedi-

pedimenta simili nobili ædificio afferre, quoties à tali ædificio non distarent, saltem per quinquaginta perticas; si modo terrenum vicini, quod esset infra dictas quinquaginta perticas, ædificio adhæreret, adeò vt impediret prospectum, vias, ac ornatum; vel si vicinus ex suo terreno prospiceret in domum, & ædificium huiusmodi nobile, faciléq. posset intelligere quid loquentes dicerent. Cessantibus autem prædictis, vicinitas, etiam intra quinquaginta perticas, non attendatur, vt quis inuitus vendere cogatur.

12 Duodecimò, declarat insuper Senatus, quòd si quis haberet modicam terreni quantitatem subtus huiusmodi nobile ædificium, non possit cogere habentem terrenum vicinum ad sibi vendendum; cum intelligat Senatus id tantùm consequi posse eos, qui præter honorabilem domum, eo in loco notabilem quoq. terreni quantitatem habuerint, & saltem duplum quantitatis terreni illius, qui cogendus est vendere, vt supra.

13 Decimotertiò, & quatenus duo eodem tempore vellent fabricare, & vnus prætenderet sibi ab altero cedi: eo in casu per Dominos Iudices, & Deputatos is præferatur, qui ædificium magis nobile facere voluerit: & data paritate propositi ædificij, illiusuè fabricæ, & expensæ, præferatur qui ibidem maiorem terreni quantitatem habuerit: & in casibus, & necessitatibus prædictis vendere eidem compellatur.

14 Decimoquartò, vbi autem iam duo haberent ædificia facta, seu de nouo ambo, vel alter faceret, & aliquis haberet terrenum aptum similibus necessitatibus, & commoditatibus amborum, ædificia habentium, & facientium, eo in casu prædicti Iudices, & Deputati præferre debeant eum, quem magis dicto terreno indigere comperuerint. Et si vterque ipsorum æquè indigeat; inter vtrunque diuidatur, & vni cuilibet commoda portio tribuatur. Quòd si huiusmodi portiones vtrique forent inutiles; tota illi detur, cuius ædificio à pluribus partibus, vel aliàs magis adhæserit. Si verò alteri tantùm diuisio inutilis futura sit: nihil illi, sed tota alteri detur.

15 Decimoquintò, voluitq. Senatus in omnibus casibus suprascriptis, & tàm in prædijs in Ciuitate, quàm ruri existentibus, assignari debere terminum per ipsos Dominos Iudices, & Deputatos huiusmodi fabricantibus, & fabricare volentibus, & ob id ementibus, liberantibus, & licentias respectiuè ad ea, de quibus supra, obtinentibus: infra quem omnino, & sub pœna, eis indicenda ab ipsis Dominis Iudicibus, & Deputatis, huiusmodi fabricas, ornamenta, & alia eis concedenda faciant: quo termino elapso, si id non impleuerint, ad pœnarum huiusmodi executionem per ipsos DD. Iudices, & Deputatos, vt supra, irremissibiliter, & omnia appellatione, & defensione cessantibus procedatur, & pœnæ ipsæ locis pijs, arbitrio eorundem Dominorum applicentur.

16 Decimosextò, & nihilominus prædicti omnes cogantur, & compellantur, sub alijs grauioribus pœnis, & ammissionis rei, quam emerint, infra alium terminum, arbitrio assignandum, implere, & perficere eisdem demandata, & iniuncta, vt supra. Quod si secunda vice defecerint; pariter ad ipsarum pœnarum per prædictos DD. Iudices executionem procedatur: & bona ipsa alijs vendantur, qui fabricas faciant, & alia, prout visum erit ipsis dominis iniungienda. Mulctæ autem, & pœnæ huiusmodi rursus locis pijs, arbitrio ipsorum Dominorum Iudicum, & Deputatorum applicentur, & diuidantur.

17 Decimoseptimo, postremo sanxit Senatus, quod in omnibus casibus occurrendis, qui non essent à præsentibus lege, constitutione, & Senatusconsulto comprehensi, vel non tam clarè, & expresse, prout continetur in Bulla fel. rec. Gregorij Decimitertij, sub dat. Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ 1574. Kalen. Octobris Pontif. sui Anno Tertio. respectu, & pro ædificijs, & iure congrui in Vrbe, quòd ea omnia disposita in dicta Bulla, censeantur etiam facta, & disposita in præsenti Senatusconsulto, & obseruentur in Ciuitate Bonon. tàm pro prædijs in Ciuitate, quàm ruri existen-

existentibus; & exequantur per supradictos Iudices, & Deputatos: ita vt priùs obseruent, & exequantur, ac attendant disposita supra, prout iacent. Et si aliqua disceptatio occurreret, quæ non bene declarata videretur supra, vel quæ diceretur non esse comprehensa à præsenti Senatusconsulto; eo casu, & casibus ipsi Domini Iudices, & Deputati recurrant, & obseruent disposita, & contenta in dicta Bulla, singula singulis congruè referendo, & quàm meliùs fieri potuerit aptando. Non obstantibus quibuscunque leg. statut. & prouisionibus contrarijs, cæterisq. alijs, quæ non obstare voluit idem Gregorius XIII. in præmemoratis suis literis. Reseruatis tamen continuè statutis Bonon. sub Rubrica de Iud. diuis. in §. si vero contigerit. Et sub Rubrica de rebus commun. inter coniunctos, nisi certo modo, non alienandis. Quibus statutis, & dispositis in illis non intelligit Senatus in aliquo præiudicari, nec per leges præsentes derogatum censeri, & prædicta etiam omni meliori modo, &c.

*Galeatius Zambecarius Secr.*

## BVLLA SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XIII. Super Iure Congrui, & de qua supra in præcedentibus Constitutionibus.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Quæ publicè vtilia, & decora esse huic Almæ Vrbi ratio ipsa, atque vsus docuit, ea priuatis cupiditatibus, ac commodis præferenda censemus. Cum itaq. fel. mem. Pius Papa V. prędecessor noster nonnullas per fel. rec. Sixtum IV. Leonem X. & Pium etiam IV. similiter prædecessores nostros ad ornatum Vrbis editas constitutiones, vna cum decreto Cameræ Apost. de inquilinis in emptionibus domorum præferendis, tanquam iuris communis correctorias, & quæ nimis latè à Iudicibus interpretatæ causam iniuriæ quamplurimis pauperibus inferendæ præberent, & duobus editis scriptis, quorum solam signaturam sufficere voluit, motu proprio abrogasset, & ad viam iuris communis reduxisset. Dilecti filij Senatus, Populusq. Romanus abrogationem, & reductionem huiusmodi ægreferentes, initio Pontificatus nostri, & alias per sæpè publico decreto à nobis enixè postularunt supplices, vt literas præfatas Pij V. vti decori publico, ac multorum ciuium commoditati infensas tollere pro nostro erga hanc Almam Vrbem paterno amore dignaremur. Quam rem dum nos diutius differimus, plurimorum eandem ob causam querimonias expostulantium sustinuimus, quin etiam intelleximus publicum ipsius Vrbis ornatum deseri, & magnifica ædificia iampridem inchoata, propter nimiam quorundam cupiditatem interrupta pendere, plurimosq. ea de causa ædificandi consilium abiecisse. Quibus malis, quod minimo ciuium nostrorum, ac curialium detrimento fieri possit, mederi cupientes, cum etiam in literis Sixti, ac Leonis, ac Pij IIII. huiusmodi multa addenda, & minuenda, ac aliàs animaduersione digna apparerent, opportunum arbitrati sumus, omnibus prædictis Sixti, Leonis, & Piorum literis antiquitatis, & abrogatis, quæ ab illis ad publicum Vrbis, illiusque districtus ornatum, aeris salubritatem, ac priuatorum etiam cōmoditatem prouide tunc ordinata fuerant, ea magis, ac commoda his temporibus ratione moderata, simulque ea, quæ nos de nouo statuenda duximus, vna constitutione complecti omnia, ne publicum bonum, ac decus iacere diutius pateremur.

Itaque dictas, ac quascunque alias prædecessorum literas, quatenus ad aliquod eorum, quæ his nostris litteris continebuntur, pertinent, deque aliquo eorum statuunt, aut disponunt, antiquantes, & abrogantes, atque penitus reuocantes, & tollentes, de potestatis nobis tributæ plenitudine statuimus, quod qui pro tempore fuerint S. R. E. Camerarius, atque ædificiorum, & viarum Vrbis Magistri quacunque Vrbis parte necessarium, atque vtile fore cognouerint, possint pro vijs, areis, plateis, alijsq. locis publicis,

blicis, siue veteribus dirigendis, & ampliandis, siue nouis ducendis, & constituendis, coger: dominos domorum, & locorum quotumlibet tàm ecclesiasticos, quam seculares quacunque dignitate præditos, vt vendant Conseruatoribus, aut Sindico eiusdem Vrbis domos, & loca, quæ Camerarius, & Magistri prædicti ad id necessaria duxerint, siue illa domini ipsi habitent, siue alijs locare soliti sint, pretio à Magistris prædictis statuendo.

Vbi verò aliquas ruinas esse perceperint, locave aperta vijs publicis hærentia, ne laceræ, atque inhabitatæ domus, interruptaq. spacijs interiacentibus viarum septa, vbi deformitatem, atque incommoditatem afferant, curent ipsi Camerarius, & Magistri eas celeriter sarciri.

Itaque quoscunq. dominos, siue directos, siue vtiles domorum dirutarum, vel arearum, aliorumue locorum vacuorum secus vias publicas iacentium, grauibus pęnis propositis, breuiq. ipsorum arbitrio præfinito tempore, cogant domos dirutas, vel areas, aliaue loca huiusmodi ab eis possessa, muro saltem claudere, murumque ipsum ad eam altitudinem, quæ proxima ædificia, proximosq. muros æquet, vel ad aliam, quam ipsi præscripserint, attollere. Eamque ob causam ijdem Camerarius, & Magistri, si ipsis visum fuerit, interdicant interim inde dominis exactionem, ac conductoribus, si qui fortè fuerint, solutionem pensionum, seu canonum, aut censuum, easque faciant in huiusmodi opus ipsosmet conductores impendere, quas cum conductores ita impenderint, domini acceptas ferre debeant: cum verò impendere iussi neglexerint, opus quod in tempore iuxta huiusmodi præscriptum factum non fuerit, sua ipsi impensa perficient. Quod si vel nulli sint conductores, vel pensiones interea temporis debitæ satis operi non sint, neque tamen domini possidentes domos dirutas, aut areas, locaue aperta huiusmodi sic clauserint, ex tunc præfinito tempore elapso, si vtiles tantum domini sint, ab vtili eorum dominio, omniq. iure, quod inde eis competebat, cecidisse intelligantur, locaq. ipsa ad directos dominos liberè, cum onere tamen illa ita claudendi, deuoluta sint eo ipso. Si verò etiam directum dominium, siue per proxime dictam deuolutionem, siue alias habeant, liceat prædictis Camerario, & Magistris, postquam sic præfinitum ipsis dominis tempus affluxerit, tum exigendis propositis pœnis, tum alijs crescente contumacia, etiam grauioribus, & sæpius incutiendis eos plectere, tum verò etiam captis ex alijs illorum bonis pignoribus, eisq. per subhastationem de more distractis, pecuniam cogere, vnde murus, & præscriptum opus omnino perficiatur. Vel si hac quoque ratione non profecerint, loca eadem, modo domini ipsi illa non incolant, propositis, ad hoc semel, vel pluries edictis, quibuscunque personis illa nouis ędificijs instaurare, vel saltem sic claudere volentibus locare, aut in emphiteosim etiam ad longum tempus, vel ad vnius, aut plurium personarum, siue successurarum, siue nominandarum vitas, atque etiam perpetuo concedere, vel etiam vendere, vt alias alienare pro pensione, aut canone, aut pretio, quod repetiti poterit, ita quidem vt ex pluribus, hoc casu, oblatoribus, si quis rei particeps, aut consors fuerit, is præ omnibus obtineat, nisi forsan, & ipse in claudendo negligens fuerit, præter hunc autem, vicini cæteris, & inter vicinos, qui magis indiget, vel qui vicinus est à pluribus partibus: inter cæteros verò qui plus, quique ad maiorem Vrbis ornatum ædificare voluerit, præferatur, iudicio eorundem Camerarij, & Magistrorum.

Pro priuatis autem ædificijs similiter, aut nouis construendis, aut veteribus ampliandis, liceat cuicunque quouis muro sibi propinquo liberè vti, eiq. tigna, lapides, aliaque materiam ædificij sui, totumq. ipsum ædificium iniungere, & annectere, etiam si murus ita ad vicinum suum totum pertineat, persoluto tamen eiusdem muri dimidio pretio, ad eam æstimationem, quam duo periti, quorum singulo, singulæ partes elegerint, vel illis discordibus, ipsi viarum Magistri declarauerint.

Et si

Et si inter duas domos viculus forte siue intercapedo trium circiter, vt solet, palmorum intersit, liceat ei qui primus in altera earundem domorum ædificare cœperit, habita tamen ab ipsis Magistris licentia, totum sibi vinculum nullo persoluto pretio occupare, ac domui suæ adiungere, domumq. ad vicini murum producere, muroq. vt supra dictum est, communiter vti.

At si quis domum fundum, solumue habens, ibi ædificare voluerit, illi Camerarius, & Magistri præfati cogant vendi domos, aliaq; loca eidem domui fundo, solo vicina, quæ eorum domini non incolunt, sed locare solent, quęque ijdem Camerarius, & Magistri huiusmodi ædificio vtilia, & necessaria putauerint, pretio tamen aucto duodecima eius parte, vltra æstimationem modo prædicto faciendam. Et nihilominus si ędificium ipsum insigne futurum sit, eique perficiendo aliqua domus, etiam à domino habitata, vel hortus, aliusue locus muris clausus opportunus cohæreat, eo casu (dummodo ædificium iam cæptum sit, idq. à duobus saltem lateribus cohæreat domui, horto, vel loco huiusmodi, illiusq. æstimationem quadruplo sit excessurum) cogant dominum etiam sic habitantem, vt domum, hortum, vel locum vendat, aucto tamen dicto pretio ad quintam eius partem, dataq. ipsi domino sex mensium dilatione post factam venditionem, quo interim ibidem permanens aliam sibi habitationem parare possit.

Prætereà cum ob ducendam, siue dirigendam viam, vel ob aliud opus publicum aliqua pars alicuius domus, quam dominus sine vlla fraude tunc habitaret, mandato dictorum Magistrorum diruta fuerit, vnde domus habitationi domini incommoda efficiatur, vt familiam non capiat, si iuxta illam fuerit alia domus annua pensione, vel aliàs locari solita, cuius coniunctione huiusmodi incommoditati subueniri possit, vt id fiat, cogant eam domino domus dirutæ, si ibi deinceps habitaturus sit, vendi pretio, quod supradicto modo æstimatum fuerit. Quod si diuersorum dominorum domus huiusmodi iacturam passæ locari solebant, non autem habitari, alio ipsorum dominorum petente, cogatur alius domum suam sic dirutam, vel excisam vendere, constituto pretio ad æstimationem prædictam, hac tamen distinctione habita, vt detur optio illi, qui minorem iacturam in sua passus fuerit, an ipse velit aliam emere. Quin etiam, si quis post huiusmodi ruinas propter publicum aliquod opus factas propriam domum ea de causa aliqua parte dirutam, vel excisam, quam ipse habitare solebat, sarserit, eiq. alia domus similem passa iacturam contigua sit, quam dominus similiter habitans intra tempus à Magistris præfinitum, neque serserit, neq; muro clauserit, sed deformam reliquerit, velitq. is qui suam sarsit, truncam illam sibi contiguam suæ coniungere, & ædificare, ac propterea pretio, vt supra dictum est, æstimando, & amplius addita eiusdem pretij quinta patte emere cogatur eius dominus, licet habitans, ita vendere.

Sed & cum aliqua domus, siue fundus, aut solum volente sua sponte domino vendendum erit, teneatur venditor perquirere à vicinis, quotquot erunt, qui rem aliquam immobilem illi contiguam habuerint (etiamsi se empturos nullo modo antea professi sint) an aliquis eorum velit, rem vēdendam emere; eisq. pretium, atque omnia pacta, & conditiones, quibus cum alio verè, omniq. procul fictione contraxit intimare: perquisitio autem, & intimatio fiat per vnum ex Cursoribus, seu mandatarijs personaliter quidam si reperti fuerint; sint autem duorum Cursorum, seu mandatariorum diligentia reperiri commodè non poterint, fiant domi dimissa copia: absentibus autem ab Vrbe docto extraiudicialiter, & summariè coram eisdem Camerario, & Magistri, eos abesse, fiant per publicum edictum locis, quibus in Vrbe consuetum est, affigendum. Quibus ita factis, iurent tàm venditor, quàm emptor apud acta Notarij dictorum Magistrorum venditionem de huiusmodi re iam factam, & intimatam esse veram, & in ea eiusq. pretio, non intercessisse dolum, fraudem, simulationemue aliquam. Posthæc si vicini prædicti se eisdem, pretio, ac pactis, & conditionibus empturos non declaraue-

E rint,

rint, & ibi ædificaturos non promiserint, præsentes scilicet intra quindecim dies, absentes verò intra triginta, à die præstitorum huiusmodi iuramentorum: Rursus si tam præsentes, quàm absentes intra alios quindecim dies ab huiusmodi declaratione, & promissione (si fiat) omnia iuxta ea, quæ in venditione intimata continebuntur, non præstiterint, prætiumq; si quod in illa solutum fuerat, non persoluerint, & de ædificando ibi ad certam summam, certumq. tempus, ac sub certa pœna, prout ab eisdem Magistris præscriptum fuerit, se non obligauerit, illis posthabitis, venditio cuicunq; alij facta maneat, & rata sit. Qui verò intra vtrũque dictorum terminorum prædicta impleuerit, & cæteris exclusis venditio sie fieri debeat. At si perquisitio, & intimatio ita factæ, iuramentaq. ita præstita non fuerint, quæcunque venditio de ea domo, siue solo cuicunque alij facta nullum ius emptori tribuat, & quo ad illum pro infecta sit quandiu vicini intra annum à quo illam resciuerint, se opposuerint. Siquidem aliquo ipsorum intra dictum annum petente, seque, vt prædictum est, obligante ad ędificandum, & pretium emptori (si is illud accipere, & emptioni suæ renunciare, ac ratione illius, prout Camerarius & Magistri mandauerint, cauere voluerit) restituente, alioqui pretium ipsum deponente, venditio ei facta censeatur, & perinde ex illa in rei possessionem Inducatur, expulso inde dicto primo emptore, ac si cum eo, & ad eius commodum celebrata esset; Resciuisse autem, quo ad hoc attinet, intelligatur quocunque modo perceperint, vel hoc solum, rem scilicet, fuisse venditam, licet neque pretium, neque alias conditiones, aut qualitates perceperint. Post dictum verò annum maneat prima venditio, neque hac de causa à quoquam amplius impetatur. Cæterum eo casu quo perquisitio, & intimatio prædictæ fient, si in illa venditione aliqua simulatio præsertim circa pretium augendum admissa fuerit, tum venditio nulla sit, tum simulatores ipsi alter, realiter pretio priuati sint, ipsumq. pretium, ipsaq. res Cameræ Apostolicæ applicentur eo ipso. Et præterea ijdem simulatores pœnis falsi, & si iurauerint, etiam periurij puniantur.

Eadem omnia, & cum inquilino locum habeant, cum domus volente domino venalis erit, videlicet vt etiam ipsius domus inquilino (si quis erit) perquisitio, & intimatio fiant modo prædicto; ipsaq. si emere voluerit, tum intra eosdem terminos, tum demceps eadem faciat, quæ vicini facere debent, excepta duntaxat oblatione, & obligatione de ædificando. Etenim inter inquilinum, & vicinos ea sit distinctio, vel volentibus ædificare vicinis, inquilini nulla ratio habeatur: sed tantum vicinorum. At illis non promittentibus ædificare inquilino, etiam si ædificaturus non sit, idem ius in emptionem competat, quod vicinis si ædificare vellent, secundum prædicta competeret.

Veruntamen quando in singulis casibus prædictis, siue coactæ, siue spontaneæ venditionis duo vicini fuerint, quorum ædificijs vendenda res opportuna existat, & propterea illam sibi quisque ex hac constitutione vendi postulet, is obtineat, qui magis illa indiguerit. Aut si vterque æque indigeat, inter vtrumque diuidatur, quatenus vtrique commoda portio tribuatur. At si huiusmodi portiones vtrique forent inutiles, tota illi detur, cuius ædificio à pluribus partibus, vel alias magis adhæserit. Si verò alteri tantum diuisio inutilis futura sit, nihil illi, sed tota alteri detur. Quod si nulla fuerit ædificantium indigentia, is præferatur, qui magis fuerit vicinus, vel in vicinitate pari, is qui plus, quique ad maiorem Vrbis ornatum iudicio eorundem Camerarij, & Magistrorum ædificare voluerit.

Præter supradictos autem vicinatis casus, si quis domum, aliumue fundum, aut solum in emphiteusim, aliumue titulum, perpetuò, vel ad vnius, aut plurium personarum vitam pro annuo canone, aliaue respõsione concessum habeat, ibiq. ædificare velit, liceat eisdem Camerario & Magistris, eo petente, domum, fundum, aut solum huiusmodi ab eius directi domini, licet nolentis, proprietate, dominio, ac iure, necnon à canonis,

canonis, seu responsionis præstatione eximere, & liberare, alia re stabili prius constituta, pretij commoditatis, redditus, ac bonitatis saltem paris, quæ loco illius liberatæ si quoad omnia, & ad eundem directum dominum ratione proprietatis dominij, deuolutionis, & alias cuiuscunq; iuris, & oneris eisdem modo, & forma pertineat quibus illa pertinebat, translato quoque ad istam huiusmodi canone, siue responsione, cum augmento quintæ illius partis: & insuper præstita idonea cautione: & etiam facta per illum, qui ædificaturus est obligatione omnium suorum bonorum: tum quod res in quam facta est huiusmodi translatio libera est: tum etiam de euictione in ea forma, qua in Vrbe præstari solet.

In rusticis quoque prædijs, vt & illorum nitori ad honestam in illis hominum commoditatem, salutaremq. siue animi, siue corporis refectionem aliqua ratione consulatur, illud obseruetur: Vt qui vineas, aut canneta intra tria ab Vrbe milliaria, siue partiarijs colonis aliqua parte fructuum, siue alijs pecunia solet locare, cogi possint eadem vendere pretio æstimando, vt supra dictum est, & amplius duodecima ipsius pretij parte ijs, qui prope illa vineas possident, quas colunt sua impensa; dummodo emptorum vineæ sint non solum maioris pretij, & mensuræ, sed magis etiam & cultæ, & ædificiorum structuris conspicuæ, hisq. omnibus illa tantopere superent, vt magna inter vtraque adsit inæqualitas, iudicio eorundem Camerarij, & Magistrorum. Non possint autem cogi, vt partem tantummodo earum vendant.

Ij vero, qui vsque ad duodecim ab Vrbe milliaria habent prædiola mensuræ decem dumtaxat, vel pauciorum rubrorum (quas linguas se pedicas dicunt) contigua maioribus aliorum prædij, quæ casalia appellantur. Item ij quoque ex quorum Casalibus similes linguæ, seu pedichæ eiusdem mensuræ, in aliorum intra idem spatium duodecim milliarium constituta casalia ex currunt, eaque intersecant, vt à duobus, vt minus lateribus linguæ ipsæ à vicinis casalibus circundentur, cogi possint (siue ipsi colant, siue alijs locent) illas vendere, constituto pretio ad æstimationem, de qua supra dictum est, adiectaq. eiusdem pretij quinta parte.

Quacunque autem supra statuta sunt, tum de Vrbanis, tum de rusticis prædijs, aut sponte, aut coactè vendendis, vel etiam à directis dominis liberandis, ea locum habeant omninò, siue prædia ipsa sint Ecclesiastica, & ad quascunque Ecclesias, & Basilicas, etiam dictæ Vrbis, etiam Patriarchales, aut cuiusuis ordinis Monasteria, & etiam Mendicantium domos, aliaq. loca religiosa, necnon Hospitalia, etiam nationum, aut regularium, militiarum, sodalitatesq. aut Confraternitates, cæteraq. pia loca pertinentia, dummodo, neque contigua Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, Religiosisq., ac pijs locis huiusmodi, neque intra illorum septa consistant: siue sint priuatarum personarum Capellæ, & Oratoria, vel domus, aut loca seruandæ hospitalitati destinata, modo hospitalitas inibi iam neque exerceatur actu, neque amplius exerceri debeat, siue sint laicalia, & cuicunque fideicommisso, substitutioni, successioni, vel dispositioni obnoxia: & tàm hæc laicalia, quàm illa Ecclesiastica, eorum qui illa reliquerunt, seu dederunt vltima, vel alia voluntate alienari prohibita, ac quocunque onere grauata.

Sed quoties casus euenerit, quo res aliqua hac constitutione vendi debeat, si is ad quem pertinet eam vendere bis monitus à Camerario, & Magistris, cum assignatione conuenientis termini ad vendendum, id recusauerit, vel malitiosè distulerit, tunc Camerarius, & Magistri vice, ac nomine recusantis, vel differentis rem ipsam vendant, cum promissionibus, obligationibus, renunciationibus, pactis, etiam pœnalibus, & clausulis consuetis, pretiumq. quod inde cum eis augmento proueniet, apud ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam deponant. Deinde si res Ecclesiastica erat, vel etiam si laicalis, sed (quod sciatur) quam emptor eius possessionem assequatur; pretium ipsum totum in aliquorum bonorum immobilium emptionem vtiliter

liter conuertatur, cauente de euictione, etiam ipso emptore, & ad id omnia bona obligante: denturque bona inde empta domino rei venditæ. Quo facto, venditio rei illius nequaquam rescindi, aut etiam impugnari possit, prætextu quarumuis obstantium dispositionum, siue etiam inutilitatis Ecclesiæ, aut loci, vel personæ cuiusquam. Et insuper res illa vendita libera sit, & empta ab omnibus huiusmodi dispositionibus, prohibitionibus, & oneribus, ea quę ad bona, in quæ illius pretium conuersum est, sint translata. Et exinde bona ipsa dictæ venditæ rei loco maneant, eisdemque prorsus dispositionibus, prohibitionibus, & oneribus subiaceant, quibus illa subiacebat: sintque nihilominus de euictione illius emptori obligata eo ipso. Sin autem res vendita, neque Ecclesiastica erat, atq; eiusmodi vinculis obnoxia habeatur, & qui eius dominus fuerat venditioni ita factæ consentire velit, ac fideiussores de euictione præstare pretiū illi soluatur. Quod si huiusmodi fideiussores præstare noluerit, vel etiam non potuerit, emantur ex ipso pretio arbitrio eorundem Camerarij, & Magistrorum, vel loca Montium non vacabilium, vel alia bona immobilia, de quorum euictione idoneis fideiussoribus sit cautum, eaq. dicto domino tradita sint loco similis cautionis pro re vendita, donec aliter emptori idoneè caueatur, & interim vendi, aut alias alienari nullo modo possint. Verum vsquequo pretium, vel ex pretio alia res empta, vt præfertur, domino tradatur, pensio, quæ ex ipsius rei venditæ locatione percipi solebat, vel percipi verisimiliter potuisset, eidem ab emptore persoluatur.

Curent autem Camerarius, & Magistri, vt quiquis per causam ædificandi huius constitutionis fauore vti voluerit, ei ante omnia, consideratis tum ipsius, tum loci qualitatibus, summam, quam ædificando, vt minimum, impendere, ac tempus quo inchoasse, quoq; perfecisse debeat, propositis, quas voluerint pœnis præscribant. Isque ad præscriptum huiusmodi promittat, & se, bonaq; sua omnia arctissime, obliget, subiturus; omnino pœnas ipsas nisi promissa præstiterit, omni purgatione moræ ex quocumq; iure, & etiam canonica æquitate competenti, pęnitus sublata. Et nihilominus compellendus ab eisdem Camerario, & Magistris, vel promissa perficere, vel quæ propterea emit, & etiam illis vicina, quorum occasione emit, & in quibus se ædificaturum proposuerat, loca, & domos alijs ædificare volētibus, iusto pretio sicut, supradictum est, æstimando absq; vllo augmento vendere.

Sed ne aliquorū impunitas, qui (vt accepimus) beneficio litterarū Sixti, & Leonis, ac Pij IIII. dum illæ vigerent abusi, domos, & loca ex illarum dispositione acquisita infabricata adhuc retinent, alijs admittendi similia audaciam præbeat, ijdem Camerarius, & Magistri illos omnes, qui à viginti annis circa, loca aliqua ex dictarum literarum dispositione emerunt, seque in illis ædificaturos promiserunt, nec præstiterunt, cogant, ea omnia, quæ tunc facere debebant, intra spatium sex mensium à die præceptis eis hac de re faciendi implere, alioqui pœnas præmissas ab ijs exigant omnino. Et præter illas, loca eadem dominis quibus ablata fuerunt, si ipsi velint, eodem pretio, quod tunc solutum fuit restitui, vel illis nolentibus, alijs qui ibi ædificaturi sint pretio, vt supra dictum est æstimando, vendi compellant.

Cæterum pęnæ omnes quas incurrent, qui aduersus constitutionem hanc, seu Camerarij, & Magistrorum pro ipsis constitutionis exequutione mandata, vel decreta, admiserint, locis pijs dictæ Vrbis ita applicata sint, vt illi ex locis ipsis irreuocabiliter debeantur, pro quo primum pęnæ ipse post illarum incursum petitæ fuerint, ad quam petitionem, lapsis ab huiusmodi incursu triginta diebus (nisi dicti Camerarius, & Magistri illas iam pro eorum debito exigerint) quilibet in dicta Vrbe, vel in Romana Curia Iudex ad illarum exactionē indesinenter procedat, donec eidē loco verè, & integrè persolutæ fuerint. Nullo autem dictorū locorū petente, noster in Vrbe Vicarius eas de manu dictorum Camerarij, & Magistrorum acceptas, vel ab eis ipso interpellatis negligen-

gligentibus, ab eorum debitoribus, exactas, inter dicta loca, iuxta eorum indigentiam arbitrio suo distribuat.

Nos enim ad supradicta omnia, & singula faciendum, & exequendum inique illis, & pro illis summariè, simpliciter, & de plano, soloq; veritate inspecta, ac manu regia, etiam ex officio procedendum, plenam, expeditam, liberamq; auctoritatem, & potestatem, Camerario scilicet in ecclesiasticas, eidemq;, & Magistris viarum prędictis in laicas, ac quoad pœnas prædictas Vicario, ac singulis Vrbis, vel Curiæ Iudicibus huiusmodi, in quascunque personas, de eadem potestatis plenitudine præsentis Constitutionis auctoritate tribuimus, & demandamus.

Decernentes eadem omnia, & singula quæ supra statuta sunt, si quando in aliquo casu de eorum sensu controuersia continget, in eam partem interpretāda esse, quæ ad Vrbis ornatum magis facere videbitur. Ac semper, & vbique siue extra iudicium fauorabilia censeri. Et ita ab omnibus Iudicibus etiam Palatij Apostolici Auditoribus, & Cardinalibus, sublata quauis aliter interpretandi, & iudicandi potestate, interpretari, & iudicari debere. Et si secus fiat, foret irritum, & inane.

Non obstantibus præmissis, ac fel. recor. Simachi, & Pauli II. de rebus Ecclesiæ non alienandis, alijsque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, legibus etiā Imperialibus, dictæque Vrbis, atque Ecclesiarum, monasteriorum, & locorum religiosorū, siue piorum, ordinumque, quorum bona huiusmodi fuerint, statutis, & cōsuetudinibus, necnon testantium voluntatibus, alijsque dispositionibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, & literis Apostolicis eisdem ecclesijs, monasterijs, & locis; eorumque Superioribus, Capitulis, & Conuentibus, seu Populo Romano, alijsque quibuscunque concessis, & quibusuis alijs Sedis Apostolicæ Indulgentijs, per quæ præsentium exequutio, & per eas tributæ iurisdictionis explicatio posset quomodolibet impediri, vel tardari, quibus omnibus, eorum tenores pro plenè, & integrè expressis habentes, de potestatis plenitudine prædicta derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ antiquationis, abrogationis, reuocationis, sublationis, statuti, tributionis, demandationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo septuagesimo quarto, Kalen. Octobris, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

*M. Datarius.*

*Ca. Glorierius.*

## BREVE SANCTISS. D.N. PAVLI III.

Quod forenses non acquirant, nec detineant Stabilia per tria miliaria prope Confinia.

## PAVLVS PAPA III.

*Dilectis filijs Vexillifero Iustitiæ, & Quadraginta Viris Status Libertatis Ciuit. Nostræ Bonon. Reformatoribus.*

Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum sicut nobis nuper exponi fecistis licet in Statutis, seu Prouisionibus Ciuit. Nostræ Bononiæ caueatur expresse quod omnes forenses bona immobilia in dicta Ciuitate, seu eius guardia, vel comitatu pro tempore possidentes omnia onera realia in Ciuitate, seu guardia, aut

comitatu prædictis pro tempore imposita, seu contra loco certam pecuniarum summam certis mihi expressis modo,& forma soluere teneantur quoque nullus forensis aliqua bona immobilia in Confinibus dicti comitatus, vel prope illos per tria milliaria quouis titulo acquirere possit, quinimo si ex successione vniuersali aliqua ex bonis huiusmodi in aliquem forensem deueniant teneātur idem forensis bona ipsa infra certum mihi expressum tempus alicui ciui Bonon. vel alteri Ciuitatis, aut Comitatus prædictorum incolæ vendere, nihilominus diuersi forenses diuersa bona immobilia in Ciuitate, seu Guardia, aut comitatu prædictis possidentes sub prætextu etiam forsan quod statuta, & prouisiones huiusmodi in desuetudinem abierint, seu alias in viridi obseruantia non existant, onera, seu eorum loco summam pecuniarum huiusmodi soluere recusent,& in die bona immobilia in confinibus dicti comitatus, & propè illos per tria milliaria acquirant ex quo Camera dictæ Ciuitatis redditibus, & prouentibus eius ordinarijs destituitur, & in dies depauperatur, ac confines comitatus huiusmodi, & illius iurisdictio confunditur, & in dubium recatur in maximum ipsis Ciuitatis, & dilectorum filiorum illius communitatis præiudicium, nobis humiliter supplicari fecistis, vt statuta,& prouisiones huiusmodi innouando, quod de cætero perpetuis futuris temporibus omnes,& singuli forenses bona immobilia in Ciuitate, guardia,& comitatu prędictis possidentes cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existunt omnia, & singula onera realia in eisdem Ciuitate, Guardia, vel comitatu pro tempore imposita iuxta statutorum, & prouisionum huiusmodi formam realiter, & cum effectu soluere teneantur quoque nullus forensis, etiam vt præfertur qualificatus aliqua bona immobilia in eisdem cōfinibus, seu propè illos per tria milliaria quouis titulo acquirere possit, quinimò si ex successione vniuersali aliqua bona similia in aliquem forensem deuenerint, idem forensis bona ipsa iuxta formam statutorum, & prouisionum huiusmodi,& sub pœnis in eis expressis vendere teneatur, statuere,& ordinare, aliasque in præmissis opportunè prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes quod nemo vendere cogitur, ac quilibet suis iuribus legem quam voluerit imponere potest quoque onera huiusmodi res ipsas sequuntur, ac illa eas possidēs pro rata ipsas res quæ cum onere suo ad eum transierunt tangen. sufferre teneatur, necnon eiusdem Ciuitatis indemnitati consulere, & ne ex confusione, seu perturbatione cōfinium huiusmodi aliqua scandala oriri possint prouidere volētes huiusmodi supplicationibus inclinati statuta,& prouisiones prædicta de vestro, & dictæ Communitatis consensu innouando, quod de cætero perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli forēses bona immobilia in Ciuitate, Guardia, & comitatu prædictis possidentes cuiuscunque dignitatis, gradus, status, ordinis, vel conditionis existant omnia,& singula onera realia, in Ciuitate, guardia, vel comitatu prædictis pro tempore imposita, iuxta statutorū,& prouisionum huiusmodi formam,& pro vt alij eiusdem ciuitatis ciues bona huiusmodi possidentes realiter,& cum effectu soluen. teneantur quoque nullus forensis etiam, vt præfertur qualificatus aliqua bona immobilia in eisdem confinibus, seu propè illos per tria milliaria quouis titulo acquirere possit, quinimo si ex successione vniuersali aliqua bona similia in aliquem forensem de cætero deuenerint, idem forensis bona ipsa iuxta formā statutorum,& prouisionum huiusmodi, & sub pœnis in eis expressis vendere teneatur auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon alijs ipsis ciuitatis, etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus priuilegijs quoque, & indultis apostolicis p quoscunque Ro. Pont. prædecessores nostros, ac nos, & sedem apostolicam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs alijsque efficatioribus,& insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis etiā motu proprio, aut alias quomodo

modo

modolibet emanatis,& etiam iteratis vicibus innouatis,& approbatis quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbũ non autẽ per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expresso habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse decreuimus quoque statuta,& prouisiones huiusmodi in viridi obseruantia non existant, seu ex illorum etiam per longissimum tempus in obseruantia,& contrauentione indesuetudinem abierint; quæ omnia aduersus statutum, & ordinationem nostram huiusmodi alieni suffragari posse nolumus cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud S.Petrum sub annulo Piscatoris die 12.Martij 1544. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

*Blosius El. Fulgin.*

## BREVE SANCTISS. D. N. D. IVLII III.

Quod forenses non acquirant, nec detineant stabilia per tria milliaria propè confiniæ.

## IVLIVS PAPA III.

*Dilectis filijs Vexillifero Iustitiæ,& Quadraginta Viris Ciuit. Nostræ Bonon.*

Dilecti filij salutem,& apostolicam benedictionem. Dudum fel. rec. Paulo Papa III. prædecessori nostro pro parte vestra exposito,quod licet in statutis, seu prouisionibus Ciuitatis nostræ Bonon. caueretur expresse,quod omnes forenses bona immobilia in dicta Ciuitate, seu eius Guardia, vel Comitatu pro tempore possidentes omnia onera realia in ciuitate, seu guardia, aut comitatu prædictis pro tempore imposita, seu eorum loco certam pecuniarum summam certis inibi expressis modo,& forma soluere tenerentur, & quod nullus forẽsis aliqua bona immobilia quouis titulo acquirere,prout quinimo si ex successione vniuersali aliqua ex bonis huiusmodi in aliquem forẽsem deuenirent, idem forensis bona ipsa infra tempus inibi expressum alicui ciui Bonon. vel alteri ciuibus,aut comitatus prædictorum incolæ vendere. Nihilominus diuersi forenses diuersa bona immobilia in ciuitate,seu guardia,aut comitatu prædictis possidentes, & forsan sub prætextu quod statuta,seu prouisiones huiusmodi indisuetudinẽ abijssent, seu alias in viridi obseruantia non existerent onera, seu eorum loco summam pecuniarum huiusmodi soluere recusabant,& in dies bona immobilia in confinibus dicti comitatus,& propè illos per tria milliaria acquirebant ex quo Camera dictę ciuitatis Bonon. redditibus, & prouentibus suis ordinarijs destituebatur, & in dies depauperabatur, ac confines comitatus huiusmodi,& illius iurisdictio confundebantur,& in dubium reuocabãtur in maximum ipsius ciuitatis,& dilectorum filiorum communitatis Bonon.pręiudicium idẽ prædecessor nostris in ea parte supplicationibus inclinatus statuta, & prouisiones huiusmodi de nostro, & ipsis cõmunitatis consensu innouando pro suas in forma breuis literas statuit,& ordinauit, quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus omnes,& singuli forenses bona immobilia in ciuitate,guardia,& comitatu prędictis possidentes cuiuscũque dignitatis, gradus,status,ordinationis, vel conditionis existerent, omnia, & singula onera realia in ciuitate, guardia, vel comitatu prædictis pro tempore imposita, iuxta statutorum, & prouisionum huiusmodi formam, & prout alij eiusdem ciuitatis ciues bona huiusmodi possidentes realiter, & cum effectu soluere tenerentur, & quod nullus forensis etiam vt præfertur qualificatus aliqua bona immobilia in eisdem confinibus, seu propè illos per tria milliaria quouis titulo acquirere posset

quinimo

quinimo in aliquem forensem de cætero deuenirent idem forensis bona ipsa iuxta formam statutorum, & prouisionum huiusmodi, & sub pœnis in eis expressis vendere teneretur, prout in eisdem literis plenius continetur, cum autem sicut nobis exponi fecistis ex tenore statutorum, seu prouisionum huiusmodi præmissa locum non habeant in forensibus ementibus, & acquirentibus animo, & intentione veniendi ad habitare in ciuitate, guardia, vel comitatu, vel districtu prædictis, & venietibus cum sua familia saltem infra tempus duorum mensium post emptionem, & acquisitionem huiusmodi, ac ex tunc de cætero habitantibus, & in casu huiusmodi liceat eisdē forensibus quæcunque prædia, & bona vrbana, vel rustica in comitatu, & districtu, ac alijs locis prædictis consistentia emere, & acquirere, & quādiù sic habitauerint tenere, & possidere, & propterea alij sub prætextu ciuilitatis à Sede apostolica, seu ei vobis, aut alias obtentæ licet in alienis ciuitatibus, seu guardijs, vel comitatibus habitent alij vero sub assertione, quod vellint infra tempus dictorum duorum mensium ad ciuitatem, seu guardiam, aut comitatum, vel districtum Bonon. huiusmodi cum eorum familia inhabitandum venire, licet postmodum non veniant, diuersa bona in dictis confinibus, & iuxta illos per tria milliaria prædicta diuersimode acquirant, alij verò ad acquisitionem huiusmodi pro eis, & ad eorum commodum faciendam diuersos ciues, & comitatenses supponant, & per ipsum sic suppositum ciues, & comitatenses acquisita eorum suppositorū nomine cum eis colludendo pro seipsis, & ad suam vtilitatem possideant, & exinde non solum Camerā prędictam defraudent frumenta, & alia blada, ac canapem, & vuas, aliosque fructus extra Territotium Bonon. propria temeritate, & sine superiorum diu noctuq. ob breuitatem itineris, quo in aliud territorium itur, facile asportando in graue eorūdem ciuitatis præiuditium, verum etiam confines dictæ ciuitatis Bonon. pro alijs dominijs vsurpent, & ea illis approprient, ac etiā verisimiliter formidetur, ne ipsi forenses, vt bona sua ab innundatione acquarum per illa decurrentium liberent acquam fluminis Rhęni bona ipsa innundantis in agrum Bonon. qui demissior existit, agerem ipsis fluminis perforando immittant, seu deriuent, & decurrere faciant in maximam eiusdem agri Bononien. desolationem nobis humiliter supplicari fecistis, vt non solum litteras prædecessoris huiusmodi approbare, & innouare verum etiā quod de cætero perpetuis futuris temporibus quiuis forensis cuiuscunque status, gradus, ordinationis, conditionis, dignitatis, vel præminentiæ existat quod infra duos menses à die publicationis præsentium in locis solitis dictæ ciuitatis faciendæ computandos ad habitare in ciuitate, guardia, comitatu, & districtu Bonon. huiusmodi cum tota eius familia nō venerint, & de inibi in perpetuum habitando sub priuationis bonorū per eū in con finibus huiusmodi possessorum, & illorum Camerę Bonon. applicationis, ac alijs in statutis, & prouisionibus prædictis expressis pœnis per eum eo ipso quo cōtrauenerit incurrendis idoneæ, non caueat aliqua bona stabilia in confinibus prædictis, aut iuxta illos per tria milliaria per eum hactenus quomodolibet acquisita, aut in posterum donatione inter viuos, vel vltima voluntate, aut quouis alio vniuersali, vel particulari titulo acquirenda per se, vel alium, seu alios directè, vel indirectè publicè, vel occultè quouis quæsito colore, & sub nomine cuiusuis ciuis, vel comitaten. Bonon. tenere, vel possidere, seu alias se in illis ingerere nullatenus possit, sed ea infra duos menses prædictos subditis iurisdictioni Ciuit. Bonon. prædictæ realiter, & cum effectu vēdere sub eisdem pœnis teneatur quodque in posterum aliqua similia bona in confinibus prædictis, aut iuxta illos per tria milliaria nisi prius per integrum decēnium ciuitatem, vel guardiam, aut comitatum, seu districtum Bonon. huiusmodi cum tota eius familia inhabitauerit, & de inhabitandis in posterum cauerit acquirere nequeat, statuere, & ordinare, aliosque in præmissis opportunè prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictæ ciuitatis indemnitati consulere, & ne ex confusione, seu perturbatione confinium huiusmodi aliqua scandala otiantur prouidere

dere volentes statutorum,& prouisionum,ac prędecessoris literarum huiusmodi,nec nō quarumuis ciuilitatum immunitatum, & exemptionum quibusuis personis, & ex quacunque etiam onerosa causa,aut contemplatione cuiusuis,etiam Regis, aut Ducis,seu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vel cuiuscunque alterius quacunque dignitate, vel præminentia fulgentis,hactenus concessarum, & priuilegiorum etiam apostolicarum super illis concessorum tenores,& effectus præsentibus pro expressis,& insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,innouationem necnon statutum,& ordinationem prædecessoris huiusmcdi,ac super illis confectas literas prædictas,apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & innouamus,ac illis nostræ approbationis,& innouationis robur adijcimus,eaque omnia,& singula suos plenarios effectus sortiri,& ab omnibus inuiolabiliter obseruari,ac quoscunque ad eorum obseruationem teneri,& ad id sententijs, censuris,& pœnis ecclesiasticis, ac etiam pecuniarijs,omnibusq; alijs opportunis iuris,& facti remedijs cogi,& compelli posse,& debere decernimus,& insuper quod de cætero perpetuis futuris temporibus quiuis forensis, etiam vt præfertur qualificatus qui infra dictos duos menses, vt præfertur computandos ad habitan. in ciuitate,guardia,comitatu,& districtu Bonon. huiusmodi cum tota eius familia non venerit,& de inibi in perpetuum habitādi sub prædicta pœna per eos,vt præfertur incurrenda idonee non cauerit aliqua bona stabilia in cōfinibus prædictis,aut iuxta illos per tria milliaria consistentia per eum hactenus acquisita, aut in posterum donatione inter viuos,vel vltima voluntate,aut quouis alio vniuersali,vel particulari titulo acquirenda per se,vel alium,seu alios directè,vel indirectè publicè,vel occultè, quouis quæsito colore,& sub nomine cuiuscunque ciuis,vel comitatensis Bonon.tenere, aut possidere,seu alias se in illis ingerere nullatenus possit,sed ea infra duos menses prædictos subditis iurisdictioni dictæ Ciuitatis Bonon.realiter,& cum effectu vendere sub eisdem pœnis teneatur quodque in posterum aliqua similia bona,in confinibus prædictis,aut iuxta illos per tria milliaria,nisi prius per integrum decenium ciuitatem,guardiam,aut comitatū, seu districtum Bonon.huiusmodi cum tota eius familia inhabitauerit, & de inhabitādo in posterum,vt præfertur cauerit acquirere nequeat, auctoritate apostolica, & tenore prædictis statuimus,& ordinamus,decernentes quascunq; acquisitiones contra præsentium continentiam,& tenorem quomodolibet factas nullas, irritas, & inanes, nulliusq; roboris,& momenti fore,ac ex illis nullam possessionem transferri,aut translatam censeri posse,& si de facto apprehendatur vitiosam, & etiam quo ad effectum iuris nullius effectus fore,nec non bona ipsa contra formam præsentium tam vendentes, seu legantes,aut alias in eorum vltima voluntate relinquentes, quam etiam acquirentes pęnam dupli pretij bonorum sic pro tempore venditorum,seu legatorum,aut relictorum dictæ cameræ applicandi, & nisi illud requisiti soluerint, & superinde mandatis Magistratuū Bonon.peruenerint perpetui banni à dicta Ciuitate iuxta antiquorum eiusdem ciuitatis statutorum,& prouisionum in illis Archiuio existentium continentiam, & tenore eo ipso incurrere, & ab ea perpetuo banniri debere, ac pro maiori præmissorum obseruatione Massarios communium, & terrarum comitatus Bonon. huiusmodi in quorum villis,& territorijs prędicti forenses bona contra tenorē præsentiū habent, & possident, aut in posterum,vt præfertur acquirerent ad nomina,& cognomina præmissis contrauenientium vobis denuntiandum, & notificandum sub pœna ducentorum scutorum auri per eos nisi præsentibus paruerint,eo ipso incurrenda teneri,& obligatos existere,ac singulos notarios qui de aliquo instrumento acquisitionis bonorum contra tenorem præsentium faciendæ scienter rogati fuerint,& illud infra quindecim dies à die celebrationis instrumenti huiusmodi vobis non denuntiauerint similem pœnam eo ipso incurrere,& scientiæ Massariorum, & Notariorum huiusmodi quotiens Massarij aliquem forensem possidere viderint, & notis in Instrumentis per eos pro tempore rogatis bona

alienata

alienata à confinibus dictæ ciuitatis vltra tria milliaria prædicta distare nō expresserint, semper præsumi debere sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes, in qua vis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquā quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, nec non alijs ipsis ciuitatis, etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roborantis statutis, & consuetudinibus priuilegijs quoque indultis, & literis apostolicis per quoscunque Rom. Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem prędictam, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs alijsque efficatioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis etiā motu proprio, aut alias quomodolibet cōcessis, ac etiam iteratis vicibus, innouatis, & approbatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, & expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, nō autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habēda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserentur, præsentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus. Quodque statuta, & prouisiones huiusmodi in viridi obseruantia non existant, seu ex illorum etiam per longissimū tempus in obseruantia, & contrauentione in desuetudinem abierint; quæ omnia aduersus statutum, & ordinationem nostram huiusmodi alicui suffragari nolumus cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 12. Octobris 1552. Pontif. nostri Anno tertio.

*Cal. Aquinas.*

*Breue supradictum admissum fuit à Senatu, & commissum registrari Priore Magnif. Com. Vincen. Herculano die 7. Nouembris 1552.*

## BREVE SANCTISS. D.N.D. PII V.

Quod forenses non acquirant, nec detineant stabilia per tria miliaria propè confinia.

## PIVS PAPA QVINTVS.

AD perpetuam rei memoriam. Inter multiplices animi nostri curas ad ea præsertim attendere nos decet per quæ ciuium nostrorum quorumlibet maxime vero nostræ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditioni subiectorum indemnitati quieti, & tranquillitati consulatur, ac ab extraneorum occupationibus, & molestijs damnorumque, & incommodorum illationibus liberentur, aliasque, & alia desuper opportunè prouidere, pro vt personarum temporum rerum, & locorum qualitate pensata cōspicimus salubriter in Domino expedire; Cum itaque sicut accepimus, multi, & diuersi forenses, seu extranei diuersarum regionū, varia, & diuersa bona stabilia in Ciuitate nostra Bonon. & illius comitatu, & territorio, seu districtu, teneāt, & possideant; quod in eiusdem ciuitatis ciuium, & incolarum damnum, & pręiudicium maximum redundat, tām ex indigentia, & penuria huiusmodi locorum, bonorum stabilium ob Populum, ex Dei largitate satis adauctum, quam etiam ratione onerum, & grauaminum communium, & signanter damnorum Carnis, Piscium, Vini, & aliorum quæ ipsi forenses, & extranei alium degentes nō supportant sicut ciues, & incolæ ipsis ciuitatis comitatus, guardiæ, & districtus faciunt, nec non ratione fructuum in, & super dictis bonis nascentium, qui sæpius ab eis

ab eis extra eiusdem Ciuitatis, Territorium, & Iurisdictionem transportantur. Vnde Pauperes dictæ Ciuitatis grauius leduntur, & quod prætereundum non est, etiam ratione confusionis,& vsurpationis cõfinium,& iurisdictionis d. Ciuitatis Bonon. & illius comitatus,& districtus,ac territorij, quæ exoritur continuo ex facto eorundem forensium, & extraneorum possidẽtium bona mobilia in extremis partibus ipsius comitatus, & territorij,ac vltimis ratione diuersionis acquarum nonnullorum fluminum,& discursoriorũ,quæ fit in eisdẽ extremis partibus ad nociua loca comitatui, & territorio ipsius Ciuitatis Bonon. Nos propterea ex præmissis,& alijs rationabilibus causis animum nostrum mouentibus d. super opportune prouidere volentes pro vtilitate publica ciuitatis,comitatus,& territorij prædictorum. Motu proprio non ad dd. Ciuium,seu incolarum,vel aliorum pro eis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuo decernimus, statuimus, & ordinamus, quod ex nunc, & deinceps perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli forenses,seu extranei, & alias ciuilitatis priuilegio muniti, cuiuscunque sexus, status, ordinis, conditionis, & dignitatis quantumuis maximè existant,qui de præsenti ex quouis titulo,etiam emptionis,permutationis,& emphiteusis etiam ab ecclesia, vel locationis ad longum tempus, seu dotis,vel alio quocunque cõtractu, vel quasi oneroso, aut lucratiuo,etiam donatione,tam inter viuos,quam ex vltimis voluntatibus,aut alias quolibet possident,seu in futurum quomodolibet possidebũt bona stabilia infra tria miliaria confinium territorij Bonon. consistentia dumtaxat debeant infra terminum quatuor mensium à die publicationis præsentium fiendæ decurrendorum venire, & in effectu venisse ad habitãdum in ipsa Ciuitate Bonon. ac dare cautionem idoneam de habitando continuè in ipsa ciuitate cum eorum familijs, aut infra eundem terminum debeant vendere,& cum effectu vendidisse, seu alio titulo alienasse dicta eorum bona Ciuibus Bonon. habitan. & incolis ipsius ciuitatis,vel comitatus Bonon. & hæc sub pœna ammissionis eorundem bonorum eo ipso, & absque alia declaratione desuper fienda, Cameræ Bonon. applicandorum, & incorporandorum,& ita in præmissis ab omnibus, & singulis inuiolabiliter perpetuo obseruari volumus, præcipimus,& mandamus; Decernentes præsentes literas subreptionis,vel obreptionis,seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ,vel quouis alio defectu notari, vel impugnari, seu etiam per nos,aut successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut sedem Apostolicam reuocari, suspendi, restringi, limitari, modificari,vel eis in aliquo derogari, nullatenus vnquam posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, ac vt præfertur obseruari debere; Et nihilominus sub quibusuis illarum,aut similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus,vel alijs contrarijs dispositionibus etiam per nos, aut successores nostros,vel sedem prædictam,aut etiam eiusdem Sedis de latere Legatos, seu alias quomodolibet pro tempore factis,vel faciendis nullatenus vnquam compræhensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum,& validissimum statum restitutas, & etiam de nouo concessas existere,& fore; Sicque in præmissis,& supradictis omnibus,& singulis ab omnibus censeri,ac ita per quoscunque Iudices,& Commissarios etiam Legatum, Vicelegatum,& Gubernatorem,ac Episcopum Bonon. nec non etiam S. R. Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, quos etiam omnes, & singulos prædictos, & eorum quemlibet insolidum in eisdem præsentibus cõtentorum exequutores etiam sub infrascriptis facultatibus alijsq; oĩbus,& singulis necessarijs,& opportunis perpetuo cõstituimus,& deputamus sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi,& interpretandi facultate,& auctoritate in quauis instantia, & causa iudicari, & sententiari,& definiri debere irritũ quoq;,& inane quicquid secus sup his à quoq; quauis auctoritate scienter,vel ignoranter contingerit attentari; Et nihilominus Vener. Fratribus Bonon.

&

& Imolen. Episcopis, ac dilecto filio causarum curiæ Cameræ Apostolicę Gener. Audit. motu simili mandamus quatenus ipsi, vel duo, ac vnus eorum si, & postquam dd. literæ eis præsentatæ fuerint per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contẽta quæcunque vbi, & quãdo opus fuerit, & quoties super hoc pro parte Vexilliferi, & Quadraginta Virorum reformatorum status libertatis dictæ ciuitatis nunc, & pro tempore existentium, & quorumcunque ciuium Bonon. habitan. & incolarum, nec nõ etiã communitatis, & hominum ciuitatis, & comitatus Bonon. prędictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti solẽniter publicãtes eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciãt auctoritate nostra præsentes literas, & in eis cõtẽta huiusmodi firmiter obseruari illosque, & quemlibet eorum illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos, vel illorum quempiam per extraneos, seu forenses prædictos, seu quoscunque alios desuper quomodolibet molestari cõtradictores quoslibet, & rebelles, per cẽsuras, & pœnas ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstan. fel. re. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam Ciuitatem, vel Diocesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diocesis ad Iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede Apostolica deputati extra Ciuitatem, vel Diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere, seu alij, vel alijs vices suas committere præsumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad Iudiciũ nõ trahatur, & regula nostra de nõ tollendo iure quæsito si opus sit, & quibusuis alijs Apostolicis, nec nõ in vniuersalibus generalibus Prouincialibusq; , & Sinodalibus concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac statutis, & ordinationibus dictæ Ciuitatis contra prædictos forenses editis etiam à Sede prædicta confirmatis in certa parte territorij tantũ disponentibus, & præmissis non obstantibus, nec non alijs Ciuit. & comitatus aliorumq́. locorum prædictorum, etiam iuramento cõfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cõsuetudinibus vsibus, & naturis legibus etiam Pontificijs imperialibus, & ducalibus, priuilegijs quoque indultis, & literis apostolicis etiam extraneis, seu forensibus etiam ex causa onerosa concessis, & innouatis, cæterisque supradictis, & quibusuis alijs superioribus personis, & locis in genere, vel in specie sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs alijs efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis irritantibus, etiam motu, & sciẽtia, ac potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet, etiam per supradictos, & quoscunque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem prædictam etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis in posterumq́. cõcedendis, approbandis, & innouandis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumq́. totis tenoribus specialis specifica, indiuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quauis alia expressio habenda autem aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbũ insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus contrarijs quibuscunque, aut si forensibus, seu extraneis prædictis, vel quibusuis alijs à dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod præsentes literæ per publicum præconem bis in publicis solitis, & consuetis locis in dicta Ciuitate Bonon. vt inibi moris est publicatæ eosdem forẽses, seu extraneos, ac eorum quemlibet afficiãt

perinde

perinde, ac si forent eis personaliter intimatæ, cum verisimile nō sit ad eorum notitiam non fore peruēturum, quod tam patenter in eisdem locis fuerit publicatum etiam quacunque regula, seu constitutione, aut statuto, seu priuilegio, ac alijs supradictis cęterisq; coutrarijs non obstantibus quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Martij 1571. Pontificatus nostri Anno sexto.

*Cæsar Glorierius.*

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. CLEMENTIS PAPÆ VIII. Suppressionis, & extinctionis annuarum prouisionum, seu pręstationum alias erectarum super prouentibus Datiorum Ciuitatis Bonon. cum illarum applicatione Communitati, & Cameræ Bonon.

# CLEMENS PAPA VIII.

AD futuram rei memoriam. Cum, sicut accepimus nuper per obitum quondam Cæsaris Medij Villani, & Virgilij Ghisilerij Bononiensium, quædam prouisiones, seu præstationes annuæ illis super prouētibus Datiorum Ciuitatis nostræ Bononiæ, Apostolica forsan auctoritate assignatæ vacauerint. Nos volentes aliquo pacto Communitatem dictæ Ciuitatis à maximis necessitatibus, & ære alieno, quibus ob Superiorum, & præsentis etiam annorum rei frumētariæ penuriam prægrauata reperitur, subleuare, ac in primis quascunque concessiones, seu assignationes de dictis prouisionibus, seu annuis præstationibus, vel earum aliqua quibusuis personis, etiam per dilectum filium nostrum, & Apostolicæ Sedis in Ciuitate Bonon. Legatum, seu Vicelegatum, ac etiam per Nos, & Sedem Apostolicam, seu quoscunque alios ad id auctoritatem habentes, forsan factas, ac inde secutas quæcunque reuocantes, cassantes, & annullātes easdem prouisiones, seu præstationes annuas auctoritate Apostolica tenore præsentium supprimimus, easque Communitati prædictæ, seu Cameræ illius in extinctionē ęris alienis, & alias huiusmodi necessitates supportandas, & nō alios vsus conuertendas, hisce durātibus necessitatibus; & deinde ad nostrū, & Sedis Apost. beneplacitū applicamus, concedimus, & assignamus. Decernentes etiam ex nunc, prout ex tunc, & è contra, quod succedente post hac Vacatione aliquarum similium prouisionum, seu præstationum annuarū ex cuiusuis persona, illæ nulli alterę personę denuò à quoquam prædictorum concedi possint, sed eo ipso suppressæ, & Communitati, seu Cameræ prędictæ pro dictis oneribus supportandis, applicatæ, & concessæ sint, & esse censeantur, prout nos ex nunc pariter, prout ex tunc, & è contra illas pro tempore vacantes supprimimus, & eidem Communitati, seu Cameræ concedimus, & applicamus. Mandantes propterea moderno, & pro tempore existenti dictæ Ciuitatis Legato, seu Vicelegato, vel Gubernatori, vt tam præfatas nunc vacantes, quam post hac vacaturas huiusmodi prouisiones, seu præstationes annuas, iuxta præsentium tenorem per ipsam Communitatem, seu Cameram, & non alios particulares percipi, atque in æris alieni extinctionem, vel aliarum necessitatum huiusmodi supportationem omnino conuerti current, & faciant. Contradictores auctoritate nostra per opportuna iuris, & facti remedia compescendo, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictæq́. Ciuitatis Statutis, & consuetudinibus etiā iuramento, & apostolica, vel alia confirmatione roboratis. Cœterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 23. Iulij 1592. Pontificatus Nostri Anno Primo.

*M. Vestrius Barbianus.*
*M. Antonius à Valle.*

F BREVE

# BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XIII.

In quo supponuntur solutioni subsidij Triennalis Ecclesiastici etiam exempti.

*Dilecto filio Gubernatori Ciuitatis nostræ Bonon.*

## GREGORIVS PAPA XIII.

Dilecte filij salutem, & Apostolicam benedictionem exponi nobis nuper fecit dilectus filius Syndicus Ciuitatis nostræ Bononien. quod retroactis annis dilecti filij. Clerus dictæ Ciuitatis à subsidij triennalis solutione se subtrahere tentarunt, licet ad illius contributionem teneantur in primis Bonon. mouerunt, deinde Romæ in Camera Apostolica, coram diuersis eiusdem Cameræ Clericis prosequuti fuerunt lites contra dictum Syndicum, vbi tres conformes, sententiæ pro dicto Syndico, & contra Clerũ huiusmodi quod in solutionibus, quas facere recusabant contribuere tenerentur, latæ fuerunt, & licet illarum vigore multa Monasteria contribuere cęperint, & hodie contribuant, nihilominus Fratres, & Moniales, ordinis Fratrum Prædicatorum dictæ Ciuitatis soluere sententijsq́. prædictis parere recusarunt, & recusant, & quod durius est, tam ipsi, quam dilecti filij Abbas, & Monachi sancti Michaelis in Busco, Congregationis Montis Oliueti, ipsorũ Colonos, & conductores ab huiusmodi subsidij triennalis solutione immunes esse prætendunt, & onus quod ipsi sufferre deberent in Viduas, & pupillos, pauperes, ac in miserabiles personas, transferre conantur; Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, ob id non solum iura offendantur, ac Romanorum Pontificum onera inter omnes iuxta eorum ordines distribui volentium mentes immutentur, verum etiam id quod prędicti Fratres, & Moniales, ac illorum etiã Monachorum prædictorum sancti Michaelis coloni, & conductores soluere, & sufferre recusant Viduę, Pupilli, Pauperes, & miserabiles personæ filiarum nuptui tradendarum familiarumq́. æducandarum pondere grauati, & alia eorum viribus imparia onera subeuntes, sustinere cogantur, ita quod onera de iure à Fratribus, & Monialibus colonis, & conductoribus respectiuè ad subeundum aptioribus fortioribusque sustinenda per eos deposita, & recusata in infirmorum debiliorumque, & subleuandorum lassos humeros congeruntur, vt merito dici possit subleuandi præmuntur, & præmendi subleuantur. Quare pro parte dicti syndici Nobis fuit humiliter supplicatum quatenus sibi in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos dictum syndicum à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus priuilegijs, indultis, & prærogatiuis quibuscunque cum irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, modificatiuis, præseruatiuis, exceptiuis, restitutiuis, declaratiuis mentis, attestatiuis, derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficatioribus efficacissimis, & insolitis formis, & clausulis, decretis irritantibus, & alijs quibuscunque strictioribus, vinculis, etiam quoad viã iuris reduci, reuocari, vel alias impugnari quouis modo, vel prætextu non possint, & reductis, vel reuocatis, vel impugnatis, iterum concessa censeantur conceptis, & concessis etiam si in eis caueatur expressè, quod pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia habenda, aut exquisita forma seruanda foret. Quorum omnium tenores, continentias, & compendia pro præ-

sentium

sentium validitate præsentibus haberi volumus pro expressis nō obstantibus, Præfatos Fratres, & Moniales, ac colonos, & conductores, tam ipsorum, quam Abbatis, & Monacorum sancti Michaelis ad soluendum, & contribuendum subsidium triennale iuris, & facti remedijs, omni, & quacunque appellatione remota manu regia, auctoritate nostra cogas, & compellas, ac omnia, & singula pro præmissis, & illorum executione necessaria, & quomodolibet opporuna facias. Tibique potestatem citandi, & inhibendi, ac quæcunque mandata executiua decernendi, & exequendi dicta auctoritate tenore præsentium potestatem concedimus. Dat. Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 13. Iulij 1573. Pontificatus Nostri Anno secundo.

*P. Tanis.*

## BREVE SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPÆ XIII.

In quo omnes Ecclesiastici, & alij exempti supponuntur impositioni, & solutioni subsidij Triennalis.

### GREGORIVS PAPA XIII.

AD perpetuam rei memoriam. Sicut optimi Principis proprium munus est, ne cuiusuis generis personæ, ad conferendum ratione onerum, quæ pro tempore varijs de causis, imponuntur, plus æquo grauentur, prouidere, sic conuenit, non negligēter curare, ne aliqui ab illorum solutione, se cum aliorum incōmodo, quoquomodo eximant. Accepimus enim nuper, quod postquam fel. recordat. Paulus Papa III. prædecessor noster vniuerso statui Ecclesiastico, solutionem subsidij triennalis nuncupati, induxit, & quicquid illius occasione, vel causa soluēdum erat in Ciuitate nostra Bonon. integrum à quibuscunque personis, omni prorsus differētia sublata, tam secularibus, quam Religiosis, ac cuiusuis etiam mendicantium ordinum regularibus, & quauis dignitate præditis, necnon Cardinalatus honore fulgentibus pro rata, quę vnūquemque tangebat, indistinctè exactum fuit. Et cum deinde super solutione ex causa prędicta facienda, alias inter Fratrum, & Sororum ordinū mendicantium, domos, & Monasteria, aliasq. dictæ Ciuitatis, Comitatus, & Districtus regularia loca ex vna, & communitatem, & homines Ciuitatis prædictæ, ex altera partibus, controuersia exorta, illaq. tandem in Camera nostra Apostolica introducta fuisset, & desuper variæ sententiæ, etiam rem iudicatam fauentes, emanatæ fuissent piæ tamen memoriæ Pius Papa V. prædecessor noster nonnullis de causis animum suam mouentibus mendicantium ordines à dicti subsidij solutione exemptos esse voluerit exemptionemque prædictam successiuè ad alios, etiam regulares ordines extendit, quæ exemptio, cum postea de eiusdem Pij prædecessoris mandato fuisset commissa in dicta Camera Apostolica examinanda, & reuidenda, & tandem annullata extitisset, nihilominus idem Pius prædecessor postmodum omnibus, & singulis fratribus ordinis Prædicatorum illorumq. domibus, & Monialium Monasterijs, quorum cura, Regimen eis demādata esset dumtaxat, vt ad contribuendum ratione dicti subsidij Triennalis minimè tenerentur, concessit, & indulsit, prout in varijs dictorum prædecessorum litteris hæc omnia explicantur, qua de causa non solum ijdem ordinis Prædicatorum Fratres, & Moniales, sub eorum cura, & gubernio degentes se à dicta solutione, occasione triennalis impositionis facienda subtrahere modis, & rationibus omnibus exquisierunt, sed etiam quod magis vrget Colloni partiarij, ac laboratores bonorum quorumcumque tam dictorū Fratrum ordinis Prædicatorum, & Monialium eis subiectarum, quam etiam Monachorum S. Michaelis in Busco ordinis S. Benedicti, ac aliorum forsan Religiosorum, seu locorū

 piorum

piorum onera prędicta partem eorumdem colonorum,& laboratorum prædictorũ tangentia sub prætextu dictorum Priuilegiorum soluere recusant, quæ res in maximũ vertitur præiudicium tam Cameræ, & Communis Bonon. quam reliquorum pauperum, colonorum,& laboratorum in eisdem Villis, & locis degentium, quibus nõ soluentium portiones accrescunt. Nos igitur inter nobis, & Sedis Apostolicæ subiectos æqualitatem seruari cupientes,nec quemquam plus æquo in conferendo,grauari,nec præsertim Cameræ Bononiensi perpetuum præiudicium propterea inferri, cum eidẽ emolumenta subsidij prædicti,& illius causa,& occasione ex dicta Ciuitate illiusque Comitatu,& Districtu prouenientia,applicata sint onere illi iniuncto fructus montis, seu mõtium occasione dicti subsidij in dicta Ciuitate erectorum, his qui proprias pecunias in illo,vel illis collocauerint integrè pręstandi,& soluendi permittere,aliasq. opportunè prouidere volentes,ac dictarum litterarum,gratiarum,immunitatum sententiarum,remissionum, indultorum,dicto ordini fratrum Prædicatorum,& Monialium eis subiectarum,ac alijs ordinibus concessorum præsertim litterarum præfatis Dominicanis, vt supra concessarum sub Dat. Romæ die decima octaua Ianuarij, necnon, & die vigesima septima Iunij millesimi quingentesimi septuagesimi tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis,& insertis habentes,motu proprio non ad dictæ communitatis,aut hominum, aut alicuius eorum, vel aliorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam,sed ex certa scientia nostra,& nostrę potestatis plenitudine exemptiones gratias indulta,& priuilegia quæcumque per dictum Pium prædecessorem ordini fratrum Prædicatorum, & Monialibus Monasteriorum sub eorundem fratrum, cura, degentibus, vt præfertur illorumque domibus, Monasterijs personis, vel alias quomodolibet sub quacumque verborum formula, concessa, ratione, solutionis, impositionis triennalis subsidij faciendæ,reuocamus,cassamus,& abolemus,viribusque illa,& desuper quomodolibet conceptas literas,quascunque effectu carere, quod in dicta Ciuitate, comitatu, & districtu indifferenter cuiusuis generis personæ non solum laici,sed etiam clerici,& alij quæcumque beneficia ecclesiastica obtinentes,& quacũq; dignitate etiã Cardinalatus honore præfulgentes,ac vtriusque sexus regulares, necnon cuiusuis ordinis,& mendicantium, etiam fratrum ordinis Prædicatorum personæ prædictæ in subsidio triennali, & seu quocumque onere occasione dicti subsidij imposito conferre teneãtur eisdem modo,& forma,quibus tempore dicti Pauli Tertij prædecessoris, ac recolendæ memoriæ Iulij etiam Tertij similiter prædecessoris nostri in dicta Ciuitate, illiusque comitatu, & districtu eius generis personæ omnes passim soluebant,& ad id teneantur,ac ad soluendum eisdem modo,& forma quibus tempore prædictorum Pauli,& Iulij prædecessorum soluebant, omnes,& singulæ personæ prædictæ opportunis iuris, & facti remedijs cogi,& compelli valeant; Quodque etiam omnes, & singuli,tam dictorum fratrum Prędicatorum,ac Monialium eidem ordini subiectarũ, quam etiam dictorum Monachorum S. Michaelis in Busco, & omnium Religiosorum, ac piorum locorum coloni partiarij, & terrarum cultores ad illorum, & aliorum Religiosorum,vtriusque sexus Monasteria,& Domos spectantium, & pertinentium ad præstationem, & solutionem onerum ratione dicti Triennalia impositionis supportandorũ poenitus, & omnino teneantur, ac nulla exemptione in præmissis vigore prædictorum priuilegiorum,& indultorum quorumcũque se excusare,aut eximere possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus, sicque in præmissis omnibus,& singulis per quoscunque Iudices, & Commissarios, quauis etiam Apostolica, aut Legati de latere, vel alia auctoritate fungentes, ac causarum Palatij Apostolici Auditores, nec non Cameræ nostræ prædictæ clericos, vel etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sublata eis,& eorum cuilibet,quauis aliter iudicandi,& interpretandi facultate iudicari, & diffiniri debere, nec non si secus super his à quoquã quauis auctoritate

ctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritũ, & inane decernimus. Quocirca dilectis filijs nunc, & pro tempore in ipſa Ciuitate Gubernatori, ſeu Legato, vel Vicelegato, nec non cauſarum Ciuilium in eadem Ciuitate pro tempore Auditori Generali exiſten. motu ſimili, mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel aliũ, ſeu alios pręſentes litteras, & in eis contenta quęcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Communitatis noſtræ Bonon. aut illius Sindici, ac pro Camera Bonon. Agentium, vel Procuratorum quorumcumque fuerint requiſitæ ſolemniter publicantes, ac in præmiſſis efficacis diffenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra Communitatem Syndicum, & Cameram Bonon. prædictam, reuocatione, ſtatuto, & ordinatione prædictis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet, & rebelles per pecuniarias, aliasque pœnas, nec non opportuna iuris remedia, & demũ per ſententias, cenſuras, & Eccleſiaſticas pœnas appellatione poſtpoſita compeſcẽdo, nec non legitimis ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus ſententias, cenſuras, & pęnas ipſas incurriſſe declarando, ac iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiã ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Domorum, & Monaſteriorum, Monacorum, Fratrum, & Religioſorum, quorumuis ordinum, & pręſertim S. Michaelis in Buſco ordinis S. Benedicti, ac etiam dicti ordinis Fratrum Prædicatorum, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis præſertimque litteris prædictis ſub Dat. decima octaua Ianuarij, & vigeſima ſeptima Iunij milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi vt ſupra, Statutis, & conſuetudinibus, priuilegijs, quoque indultis, etiam mari magno nuncupatis, & literis Apoſtolicis quomodocumque, vel qualitercumque, etiam in vim contractus, vel ex cauſa oneroſa, aut pietatis forſan intuitu eiſdem Monacis, & fratribus ordinis Prædicatorum illorum generali Magiſtro, ſeu Vicario, alijſque Superioribus, & perſonis, vel etiam alijs ordinibus, quibuſcumque in genere, vel in ſpecie, cum quibuſuis efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & alijs decretis conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, derogatumq. latiſſime quo ad pręmiſſa omnia, & ſingula eſſe, & cenſeri volumus cęteriſque contrarijs quibuſcunque. Dat. Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die quinta Iunij 1574. Pontificatus noſtri Anno tertio.

*Cæſar Glorierius.*

## BREVE SANCTISSIMI D. N. D. CLEMENTIS PAPÆ VIII.

### Super erectione officij Aduocati Pauperum in Ciuitate Bonon.

## CLEMENS PAPA VIII.

AD perpetuam rei memoriam. Paterna noſtra in pauperes charitas nos inducit, vt ad ea libenter intendamus, per quæ ipſorum pauperum ne à potentioribus opprimãtur, ſubuentioni, & auxilio cõſulatur, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Cum igitur in Ciuitate noſtra Bonon. officium Aduocati Pauperum erectum non ſit, & Pauperes, ac egeni ad quem in eorum cauſis confugiant, non habeant, vnde ob eorum paupertatem quandoque illos opprimi facilè contingere poſſit, Nos commoditati pauperum perſonarum quantum cum Domino poſſumus conſulere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtra, deque

Apostolicæ potestatis plenitudine in eadem Ciuitate nostra Bononien. Vnum officium Aduocati Pauperum cum auctoritate, honoribus, & oneribus solitis, & consuetis ad instar Aduocati Pauperum Vrbis, auctoritate Apostolica tenore præsentiū perpetuò creamus, erigimus, & instituimus, ac idem officium per vnum ex Doctoribus Collegij Doctorum eiusdem Ciuitatis à nobis, seu Romanis Pontificibus successoribus nostris ex tribus ex eisdem Doctoribus à toto Collegio præsentandis, seu nominādis eligendū, & deputandum exerceri debere, ipsumque pro tempore existentem Pauperum Aduocatum quoscumque Christi Pauperes Clericos, & Laycos, Hospitalia Fratrum, Monacorum, & Monialium, Monasteria, Fraternitates, Collegia, Capitula, Ecclesias, loca pia, Viduas, Pupillos, ac alias denique miserabiles, ac egenas personas, si ipsum adiuerint, tueri, defendere, atque protegere teneri in eorum litibus, causis, & differentijs, semel pluries, ac toties quoties occurrerit, in iure scribere, voce aduocare, & alia omnia necessaria, vtilia, & opportuna facere debere volumus, & ordinamus. In causis criminalibus paupere vno, vel pluribus carceratis, vel carcerādis, si de ijs torquendis, in exilium mittendis, pœna pecuniaria, vel corporali, etiam vltimi supplicij imponenda, vel quouis alio modo vexandis agatur, pro eis intercedere, loqui, & allegare. In quibuscumque signaturis, carceratorū, visitationibus, tam publicis, quam secretis, & alijs quibusuis sessionibus, & congregationibus in quibus de pauperum interesse, vel agatur, vel quouis modo agi possit vocari, & interesse possit, & valeat facultatem concedimus. Mandantes propterea dilectis filijs nostro, & Apostolicæ Sedis de latere Legato, seu eius Vicelegato, aut Gubernatori pro tempore existenti dictæ Ciuit. Bonon. ac quibusuis ciuilium, & criminalium causarum Iudicibus, ac Rotæ Bonon. Auditoribus alijsque iusdicentibus, vt pro tempore existentem pauperum Aduocatum huiusmodi semper admittāt, & gratiosè audiant, nec aliquo modo impediri, perturbari, vel inquietari permittant. Ad officium verò Aduocati pauperum huiusmodi à primæua erectione vacās hac prima vice dilectum filium Vincētium Bantium Bonon. V. I. Doctorem auctoritate, & tenore præsentis eligimus, & deputamus, eidemq. Vincentio prædictum officium Aduocati pauperum cum honoribus oneribus, & facultatibus supradictis, & cum prouisione per dilectum filium nostrum Alexandrum Diaconum Cardinalem Montaltum modernum in d. Ciuit. & comitatu nostris Bonon. de latere Legatum declarāda, & assignanda ad illius vitam concedimus, & assignamus. Non obstantibus cōstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac eiusdem Ciuit. nostræ Bonon. etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 9. Iulij 1599. Pontificatus nostri anno octauo.

*M. Vestrius Barbianus.*

## BREVE SANCTISSIMI D. N. D GREGORII PAPÆ XIII.

Super prouisione Lignorum, & Straminum DD. Legatorum, &c. ac etiam super exemptionibus eorum.

### GREGORIVS PAPA XIII.

AD perpetuam rei memoriam. Postquam communi iure prospectum esse omnes norunt, vt hi, qui iuridicēdo præsunt à muneribus, & donis illis, vel spōtè oblatis, quæ absque cuiusque iniuria recipi valerent, abstineant, diligentius quanto nobis curandum, & ne pauperes, aliæq. personæ sub prætextu eorum, quæ cuiuis in Ciuitate Magistratui debentur plus æquo grauentur, aut operas suas, vel inuiti Magistratus prædicti auctoritate commoti præstare cogantur. Hac igitur cogitatione inducti

inducti per nos nuper accepto, quàm graue incommodum, & detrimentum Cameræ Bonon. eiusdemq́. Ciuitatis nostræ Bonon. comitatum habitantibus inferatur, & irrogetur, dum Legatis, aut Vicelegatis, siue Prolegatis, vel Gubernatoribus Sedis Apostolicæ nomine in Ciuitate prædicta pro tempore residẽtibus; cœsa ligna ad quotidiani vsus ignem faciendum necessarium, nec non fœnum, ac paleæ, ac stramentum sunt paranda, eaque in dies grauiora esse, quo eorundem Legatorum, & aliorũ videlicet Prolegatorum, & Vicelegatorum, ac Gubernatorum Ministri, Auditores, Magistratuũq́. prædictorum officiales, directè, vel indirectè eadem in eorum etiam proprios vsus vendicare, vel extorquere nitũtur, ijsdem apertissimis detrimentis, prout ratio exigit, & honestas ipsa postulare videtur prospiciendum esse arbitramur. Motu proprio igitur, & ex certa nostra scientia, maturaq́. deliberatione facultatem exigendi ligna, fœnum, paleas, stramentum cuiusuis generis similes res, ac quodcumque officium super his rebus constitutum, & illorum ratione assignata menstrua salaria, & emolumenta quæcumque reuocamus, tollimus, pœnitusq́. extinguimus, & abolemus, nec non ligna, stramenta, & alia prædicta, quæque eo nomine Legatis, etiam de latere, Prolegatis, seu Vicelegatis, & Gubernatoribus prædictis præstantur, aliàs quàm iterata ratione obseruata exigere, vel recipere minimè illis licere statuimus. Volentes Legato etiam de latere pro tempore in dicta ciuitate, vel illius in eomitatu residenti ex causa lignorum, & stramentorum prædictorum quatuor mille libras monetæ in dicta ciuitate cursum habentis annuatim dumtaxat persolui. Vicelegato verò, seu Prolegato, necnon Locumtenenti, aut Gubernatori, etiam Apostolica auctoritate ibidem deputato, aut alteri cuipiam ex familia eiusdem Legati, soluta pecuniarum summa Legato, vt præfertur occasione lignorum, vel stramenti huiusmodi quicquam exigere minimè licere. Legato verò prędicto à dicta ciuitate, illiusque comitatu absente, Vicelegato, siue Prolegato, aut Gubernatori residenti duarum millium librarũ similis monetæ summam solui, ita tamen, vt vnica tantum solutione, quæ in fine cuiuslibet mensis pro rata fieri debeat, vel quattuor millium, vel respectiuè duarum millium librarum tantum monetæ prædictæ, præmissis satisfactum esse censeatur, solutio verò huiusmodi ab eisdem fiat, à quibus antea ligna, & stramenta, vt præmissum est, præstabãtur per eos quoque hęc exactio fiat per quos cęterę rusticales impositiones exiguntur in prędictos vsus conuertendę. Insuper cum Capitaneus cohortis, siue guardię pedestris Heluetiorum in dicta ciuitate Bonon. solitus sit ex stramine eadẽm et ratione pręstito, vt ante dictũ est, binos equos pascere. Volumus eius loco centum libras similis monetę quotannis, nostro, & forma pręmissis persolui quacumque alia huiusmodi de causa, solito fieri præstatione omninò, & pœnitus cessante, & remota. Mandantes etiam ijsdem Legatis, Prolegatis, siue Vicelegatis, aut Gubernatoribus ciuilium, aut criminalium causarum Auditoribus, Commissarijsque, vel Apostolica auctoritate deputatis, Capitaneoque prædicto pro tempore, ac Palatij Bonon. quibuscumque Iudicibus, quauis auctoritate præditis, ne homines communitatus prædicti grauent, impellant, vel minis, aut blandis verbis inducant, ne vè ab illis etiam spontè hoc se facturos offerentibus admittant, vt illis non persoluta honesta mercede pro operibus eis locatis blada, vuas, ligna combustilia, etiam in fasces eolligata, vel vitium fasciculos, paleas, fœnum, stipulam, libros, aliasque suppellectiles, vel cuiusuis alterius generis res, & bona, vel in supradictã ciuitatem Bonon. importari, vel exportari, & aliò aduci faciant, imò pro illis vehendis, honestam, & labori congruam mercedem, aliorum more soluant; quod si ijdem ad vehendum ab habente auctoritatę coacti fuerint, illos impunè posse ea in re imperium, & mandatum detractare permittimus, sub indignationis nostræ verò pœna districtè eisdem Legatis, Prolegatis, seu Vicelegatis, & Gubernatoribus, ac Capitaneis præcipimus, ne sub quouis prætextu, aut quæsito colore, vel ingenio, aliquo vnquam tempore quauis causa, vel occasione ad di-

stribu-

ftributionem, partitionem, vel diuifionem aliquam occafione lignorum, & ftramenti à comitatu prędicto exigendo deueniant, aut ad illam per alios deueniri permittant, etiã fi de conquerendis pecunijs in lignorum, vel ftramẽti caufas erogandis ageretur. Cũq; ex ante actorum temporũ exemplis eifdem tum Legatis occafione exemptionis pifciũ, quibus ipfos vna ad eorum familia vefci cõtigit, quinque libræ fimilis monetæ fingulis menfibus perfolui confueuerint, tum illarum dimidia pars Vicelegatis, vel Gubernatoribus in cafum abfentiæ Legati prædicti præftari debeat, fex autem libræ pro exemptione efus carnium etiam illis exhibeantur. Illas autem pecuniarum fummas, ea de caufa nuper recipere ijdem recufent, & indiftinctè quafi generali fruerentur exemptione iam propria auctoritate ea vti velint. Quæ omnia in grauiffimum publici ærarij Bonon. damnum redundarent, viamque quampluribus fraudibus aperirent; propterea controuerfias fuper præmiffis ortas extinguentes perpetuumque filentium Legatis etiã de latere, Prolegatis, feu Vicelegatis, Gubernatoribus, & alijs quibufcũque occafione præmifforum imponentes, quod eifdem per emolumenta prædicta occafione pifcium, & carnium eis affignata integrè fatisfactũ fit, & effe cenfeatur per præfentes ftatuimus. Inhibentes eifdem fub prædictis, ac alijs arbitrij noftri pœnis, ne præter illa quicquã, quod argumentum folutionum earundem refpiciat, petere, vel exigere, aut prætextu damni paffi ex vfu prædictarum rerum illis refarciendi pœnes aliquos dictæ Ciuitatis homines pro augumento dictarum folutionum inftare, donationisque, aut alia via, directa, vel indirecta, aliquid etiam fpontè oblatum eo nomine recipere poffent. Sicque & non alias in præmiffis per quofcunque Iudices, & Commiffarios, etiam caufarum Palatij Apoftolici Auditores, ac S.R.E.Card. quauis auctoritate fungentes, fublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interprętandi facultate, & auctoritate, iudicare, & & deffiniri debere, irritumq; effe, & inane quicquid fecus fuper his à quoque quauis auctoritate fcienter, vel ignoranter cõtigerit attentari, decernimus. Quocirca venerabili fratri Epifcopo Bonon. & dilecto filio caufarum curiæ cameræ Apoftolicæ generali Auditori per præfentes mandamus, quatenus ipfi, vel duo, aut vnus eorum per fe, vel aliũ, feu alios præfentes litteras, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties fuerint requifiti folemniter publicantes faciant auctoritate noftra, præmiffa efficaciter obferuari, nõ permittentes aliquos defuper per perfonas prædictas, aut alios quofcunque quomodolibet indebitè moleftari. Contradictores quoslibet, & rebelles per fententias, cenfuras, & pœnas ecclefiafticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione poftpofita compefcendo, legitimisq́. fuper his habendis proceffibus, fententias, cenfuras, & pœnas dictas iteratis vicibus aggrauando, inuocato ad hoc, fi opus fuerit, auxilio brachij fecularis. Non obftantibus cõftitutionibus, & ordinationibus Apoftolicis dictisq́. Legatis, Vicelegatis, Prolegatis, feu Gubernatoribus, Capitaneis, & alijs quibufcunque facultatibus, exemptionibus, fub quibufcunque verborum formulis, efficaciffimisq. decretis, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoftolicis iam conceffis, & forfan confirmatis, ac in pofterum concedendis, & confirmandis. Quibus omnibus, & fingulis illorum tenores præfentibus pro expreffis habentes, illis alias in fuo robore permanfuris, hac vice dumtaxat fpecialiter, & exprefsè derogamus, derogatũq́. latiffimè effe, & cenferi volumus. Concedenda verò, & confirmanda his noftris literis in nihilò pœnitus derogare, aut detrahere, vel ad ea conceffiones, & confirmationes prædictas fe minimè extendere poffe declaramus, cæterifque contrarijs quibufcunque. Dat. Romæ apud fanctum Petrum fub annulo Pifcatoris die 30. Aprilis M D LXXIIII. Pontificatus noftri anno fecundo.

*Cæfar Glorierius.*

BREVE

## CLEMENS PAPA VIII.

AD futuram rei memoriam. Cum ficut accepimus dilecti filij Ioannes, & fratres familiæ de Zanis Nobiles Bonon. vigore exemptionis ipsis à fel.record. Gregorio Papa XIII. prædecessore nostro concessæ quon. Capitaneo Marco Antonio de Zanis eorum patri pro eo,ac eius hæredibus,& successoribus se se à diuersis impositionibus, & oneribus ipsius Ciuit.quibus alij Nobiles, & Ciues Bonon. similis., & forsan pleniores,& ampliores exemptiones habẽtes subiacere solent, exemptos esse prætendant,& super hoc sententiam à dilecto filio Auditore Generali nostri in dicta ciuitate Vicelegati reportauerint,& pro eius executione nunc instent, Nos attento,quòd omnes alij exempti, & ipsimet de Zanis, exceptis Datijs Portarum, Molendinorum,& Sgarmigliati pro exemptione Vrbana, cæteris omnibus impositionibus,& oneribus alias contribuere consueuerunt,quodque sententia prædicta in maximum dictæ ciuitatis damnum cederet, eo quod alij quoque exempti similem declarationem tentarent; præmissis vt par est obuiare volentes,ac exemptionis prædictæ, necnon litterarum desuper expeditarum tenores præsentibus pro expressis habẽtes, Motu proprio,& ex certa scientia,& mera deliberatione nostra sententiam prædictam,& inde secuta quęcunque perpetuo reuocantes, & annullantes, ipsisq; de Zanis perpetuum super præmissis silentium imponẽtes,illos,& quemlibet ipsorum exemptione sibi à prædicto Gregorio prædecessore concessa,eo modo quo à duodecim annis citrà,tam quo ad ipsos,quã quo ad alias similes exemptiones habentes obseruatum fuit, & hodie obseruatur, & non alias aliter,nec alio modo,sed ad ea onera,& impositiones omnino teneri,& obligatos esse, & fore ad quas, & quæ ipsimet, & alij exempti prædicti à dicto tempore citrà obligati fuerunt,& nunc sunt,& imposterum erunt,& prout hucusque soluerunt,nec eis prædictam exemptionem,aut alijs, quibus iam concessæ, vel in futurum Vrbanæ exemptiones huiusmodi in dicta nostra ciuitate à nobis,vel successoribus nostris concederentur, aliter quam vt præmittitur,suffragari posse; Sicque per quoscunq; Iudices ordinarios, & delegatos,etiam causarum Palatij Apostolici Auditores sublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi,& interpretãdi facultate,& auctoritate iudicari, & definiri debere,ac irritum,& inanę quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac regula nostra de non tollendo iure quæsito,ac alijs constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis,cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud sanctum Marcũ sub annulo Piscatoris die 19. Iunij 1596. Pontificatus nostri anno quinto.

*M. Vestrius Barbianus*

## AMPLIATIO MODERATIONIS EXEMPTIONVM.

IN nomine sanctissimę,& indiuiduę Trinitatis Patris,& Filij,& Spiritus sancti. Amẽ. Nouerint vniuersi hoc pręsens publicum instrumenti transumptum visuri,lecturi, pariter, & audituri, quòd Nos Marcellus Lantes Protonotarius Apostolicus sanctissimi D.N. Papæ,necnon curiæ causarum cameræ Apostolicæ generalis Auditor Romanæque curiæ Iudex ordinarius sententiarum quoque, & censurarum tam in eadem Romana curia,quàm extra latarum, ac litterarum Apostolicarum quarumcunque vniuersalis,& merus exequutor ab eodem sanctissimo specialiter deputatus,vidimus, legimus,& diligenter inspeximus literas Apostolicas ad instantiã Regiminis Ciuit.Bonon.

sub

sub annulo Piscatoris, vt moris est expeditas sub Dat. Romæ apud S.Petrum sub annulo Piscatoris die tertia Aprilis 1603. Pontificatus Domini N.D.Clem.Papæ VIII. anno duodecimo. Erant autem huiusmodi literæ apostolicæ in forma breuis, vt moris est expeditæ. In quibus à tergo nihil scriptũ aderat, intus vero sic Clemens Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Cùm aliàs per nostras literas in forma breuis expeditas die decima nona Iunij 1596. Motu proprio,& ex certa sciẽtia,& mera nostra deliberatione declaratum, & ordinatũ fuerit omnes nobiles, & ciues Bonon. exemptos exceptis Datijs Portarum, Molendinorũ,& Sgarmigliati pro exemptione vrbana cæteris omnibus impositionibus, & oneribus contribuere debere, vt latius in dictis literis continetur, & successiuè acceperimus dilectos filios Angelum Michaelem Guastauillanum vnum ex Quinquaginta Reformatoribus Status Libertatis ciuitatis nostræ Bonon. se ac eius familiam, & descendentes prætendere exemptos à Gabella grossa Bonon. & Datijs eidẽ annexis vigore exemptionis concessæ à fel.record.Gregorio XIII. prædecessore nostro sub prætextu forsan clausularum apostolicarũ in ea existentium, vel ex alijs rationibus, & causis, & præsertim ex quo forsan non consueuerit soluere Gabellam, & Datia prædicta, & alia onera dictæ ciuitatis, pariterq. Gabrielem de Grassis vigore quorundam priuilegiorum suis maioribus per prædecessores nostros concessorum, & à nobis amplissimè cõfirmatorum, prout in litteris in forma Breuis sub die octaua Iulij anni 1600. expeditis latius continetur, ac etiam Ioãnem Totfaninum vigore literarũ in forma breuis ad fauorem suorum maiorum, aliàs per fe.rec.Leonem X. sub die octaua Iulij 1530. expeditarum latius apparet, Exemptiones prædictas ampliores esse,& multa amplecti contra intentionem nostram in prænaratis literis nostris expressam prętendere, Nos attento, quòd quàmplures alij ciues nobiles,& personæ eiusdem ciuitatis, similes, vel forsan ampliores exemptiones,& priuilegia habẽtes ob prædictas, & alias forsan rationes, & causas etiam validiores,& efficaciores idem tentarent, quod in maximum dictæ ciuitatis,& illius cameræ etiam Gabellæ, ac Studij eiusdem ciuitatis damnum, & præiudicium tenderet,& super præmissis lites,& discordiæ aliàs insurrexerunt, & adhuc forsan pendent indecisæ. Nos præmissis omnibus, vt par est obuiare volentes, ac dictarum exemptionum prædictorum Michaelis Angeli Gabrielis,& Ioannis,& eorum familiarum,& descendentium concessorum, necnon omnium,& quarũcunque aliarum exemptionũ quibusuis ciuibus, vel nobilibus familijs, ac alijs personis dictæ ciuitatis Bonon. & per nos, & quoscunque alios Romanos Pontifices etiam Consistorialiter motu proprio,& ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis, ac etiam Iuratarum,& in vim contractus,& ex causa onerosa, etiam propter numerum duodecim filiorum, & sub quibusvis modis,& formis, ac clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, & irritãtibus, & insolitis, & alijs efficatioribus, & fortioribus, seu alias quomodolibet concessarum, ac iteratis vicibus approbatarum, & innouatarũ, necnon per nos, & successores nostros conceden.& iteratis vicibus approban.& innouan. etiam si pro illarum sufficienti derogatione de illis earumq. totis tenoribus specialis, specifica,& indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quauis alia expressio haben. aut aliqua etiam exquisita forma seruanda sit, & in eis caueatur expressè, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo,& forma inibi expressis derogati possit; Tenores earumq. causas,& effectus præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos, & formas ad id seruan. pro indiuiduo seruatis haben.& dictis exemptionibus, & priuilegijs ad effectum præsentium dumtaxat derogan. Necnon lites, & causas quascunque de, & super præmissis, tam per supradictos, quàm quoscunque alios motas, & inter quoscunque vetten. à quibuscunque Iudicibus in quocunque statu, & instantia, & etiam si citationes ad sententiam emanasse reperiantur quorum omnium status,& merita, ac nomina, & cognomina Iudicũ, & collitigan-

litigantium similiter præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis haberi volumus, ad nos harũ serie auocantes illasq́. pœnitus extinguentes motu proprio, & ex certa scientia, & mera deliberatione nostra deque apostolicæ potestatis plenitudine mandamus, ordinamus, & declaramus prædictas exemptiones quoad Gabellam grossam prædictã Datiaq́. eidem annexa, & alia dictæ ciuitatis ordinaria, extraordinaria, onera, & impositiones soluen. nemini, præterquam quo ad illas tres Gabellas, seu Datia Portarum Molendinorum, & Sgarmigliati, vllatenus suffragari, neque conductores, seu affictuarios bonorum, & rerum exemptarum, huiusmodi exemptione frui posse, aut debere, sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscũque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij apostolici Auditores sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Per præsentes autem non intendimus præiudicare, prætensis iuribus ratione prętensæ exemptionis, vel alias quomodolibet, & ex quacunque causa competen. dilectis filijs Reformatoribus Status Libertatis dictæ ciuitatis, ac Prioribus, ac Sindicis dictæ Gabellæ, ac Doctoribus dictæ ciuitatis, si quæ tamen dictis Reformatoribus, Prioribus, Sindicis, & Doctoribus cõpetunt, & non alias; non obstantibus præmissis etiam nostra de non tollendo iure quæsito, & quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac eiusdem ciuitatis etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis apostolicis quibusuis, & sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus, & cum quibuslibet etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq́. efficatioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, cõfirmatis, & approbatis, quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis haben. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq́. contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die tertia Aprilis 1603. Pontificatus nostri anno duodecimo. M. Vestrius Barbianus. Locus ✠ annuli Piscatoris. Et quia sanas, integras, & illęsas non cancellatas, non vitiatas, nec aliqua parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspitione carere reperimus, ideò illas per infrascriptum nostrum Notarium transumi, & in hanc publicam transumpti formam redigi mandauimus, volentes, & auctoritate curiæ nostrę decernentes, quod huic publico nostro transumpto, cum suis originalibus literis fideliter, & diligenter auscultato, concordato, & collationato talis, & tanta fides in iuditio, & extra adhibeatur, qualis, & quanta dictis originalibus literis datur, & adhibetur, seu daretur, & adhiberetur, si in iudicio exhibitæ forent, vel ostẽsæ, super quibus omnibus præmissis tanquam ritè, rectè, & legitimè gestis nostram, & curiæ nostrę auctoritatem decretum pariter interponen. duximus, & interposuimus prout interponimus per præsentes. In quorum fidem has fieri, subscribi, sigillari fecimus. Dat. Romæ ex Aedibus nostris anno Domini millesimo sexcentesimo tertio, Inditione prima, die quinta Aprilis, Pontificatus Clementis Papæ Octaui anno duodecimo.

T. Lapius Lñs.

*Pro D. Dominico Amadeo Not.*
*Octauianus Bettus Connot.*

Locus O Sigilli A. C.

BVLLA

# BVLLA PAVLI TERTII PONTIFICIS MAXIMI.

Super moderatione caducitatum causa Emphyteosis ecclesiasticæ.

PAulus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Singularis feruensq. deuotio, quam dilecti filij Vexilliferi Iustitiæ, & Antiani, necnon Tribuni plebis dilectorum filiorum populi, & cōmunis Bonon. ac Quadraginta Viri Regimini Ciuitatis nostræ Bonon. præsidentes ad Nos, & Romanam gerunt ecclesiam promeretur vt votis suis per quæ scandalis occurritur, & eorum indemnitati consulitur quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Sanè pro parte dictorum Vexilliferi, & Antianorum, ac Tribunorum, & Quadraginta Virorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum diuersæ Societates, Confraternitates, & Collegia, ac particulares personæ tam dictæ ciuitatis, quam eius comitatus, districtus, & territorij, ac forsan, & Vniuersitates diuersorum castrorum, villarum, & terrarum comitatus, districtus, & territorij prædictorum diuersa bona stabilia, tam rustica, quam vrbana diuersis nominibus nuncupata à diuersis Archiepiscopis, & Episcopis, ac Abbatibus, & Prioribus, necnon Archidiaconis, & Prepositis, alijsq. Monasteriorum, & aliorum regularium locorum, ac ecclesiarum secularium Prælatis, conuentibus, & capitulis, diuersisq; alijs ecclesiasticis personis tam secularibus, quam diuersorum ordinum regularibus in feudum, liuellum, censum, vel emphiteosim in perpetuum, seu ad longum tempus, & de viginti nouem annis in viginti nouem annos renouandum, aut tertiam, vel aliam generationem, seu nominationem sub diuersis annuis pensionibus diuersis nominibus nuncupatis, & cum pactis, & conditionibus caducitatis ab eisdem bonis in euentum cessationis solutionis pensionum huiusmodi certis desuper statutis temporibus teneant, & recognoscāt, sæpius inter dominos directos ex vna, & dominos vtiles bonorum huiusmodi ex altera partibus dominis directis bona ipsa sibi eo prætextu quod Domini vtiles debitis, & congruis modis, & temporibus pensiones non soluerint vendicare satagentibus, & è contra Dominis vtilibus, aut eorum in bonis huiusmodi successoribus, & non principaliter obligatis obligationem huiusmodi ignorasse, aut illi satisfecisse asserentibus, & exinde caducitatem excusare nitentibus, diuersæ differentię, & quæstiones, ac exinde lites, & inimicitiæ, odia, & rancores exoriuntur in maximum societatum, confraternitatum, collegiorum, & particularium personarum, ac Vniuersitatum huiusmodi dispendium, & detrimentum. Quare pro parte Vexilliferi, & Antianorum, ac Tribunorum, & Quadraginta Virorum huiusmodi asserentium felicis recordationis Leonem X. Laudum antea inter tunc Abbatem, & dilectos filios Conuentum Monasterij sancti Siluestri de Nonantula ordinis S. Benedicti Mutinen. Diœc. ex vna, & communitatem ciuitatis Mutinen. ex alia partibus super certis differentijs, & rebus per quosdam arbitros de communi partium cōsensu electos latum, quo inter alia cauebatur quod ciues, comitatui, & incolę dictę ciuitatis Mutinen. & illius comitatus, & districtus feudatarij, seu liuellarij, & inuestiti bonorum dicti Monasterij ob nō solutionem canonis, siue census à iure vtilis dominij eis super dictis bonis competente non caderent, sed tantum ad solutionem dupli eius quod pro canone, siue censu tenebantur, cogerentur, per suas literas approbasse, & confirmasse, ac piæ memoriæ Clementem VII. Rom. Pontifices prædecessores nostros tunc conseruatoribus ecclesiasticæ Libertatis, necnon Antianis, & Consilio ciuitatis nostræ tunc suæ Forliuien. concessisse, & indulsisse quod bona emphyteotica, siue liuellaria quarumcunque ecclesiarum, seu piorum locorum ecclesiasticorum in Ciuitate, Diœc. Comitatu, & districtu Forliuien. consistentia ex tunc de cætero propter Canonem non solutum ad ecclesias, & pia loca huiusmodi deuolui, seu in commissum incidere non possent, sed ecclesijs, & locis pijs prædictis iuxta indulta dilectis filijs communitatis ciuitatis nostræ Rauennat. desuper concessa, quibus & ipsi conserua-

seruatores, Antiani, & Consilium vti possent satisfieri deberet, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt quod de cętero perpetuis futuris temporibus bona stabilia tam rustica, quam Vrbana quocunque nomine nuncupentur, quę per Societates, Confraternitates, Collegia, & particulares personas, ac alios quoscunque Ciuitatis, Comitatus, Districtus, & Territorij Bonon. necnon Vniuersitates Castrorum, & Terrarum huiusmodi à quibuscunque Archiepiscopis, & Episcopis, ac Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, & Prępositis, alijsque Monasteriorum, & locorum regularium, ac ecclesiarum secularium Pręlatis, Conuentibus, & Capitulis, ac quibusuis alijs personis Ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus, & extra Bonon. Ciuitatem, Comitatum, Districtum, & Territorium huiusmodi existentibus in feudum, Liuellum, Censum, Emphiteosim, ac quoscunque alios tam apparentes, quam à iure præsumptos titulos quibuscũque nominibus censeantur, & quamcunque naturam sortiantur in perpetuum, seu vltra nouennium, & de viginti nouem annis in vigintinouem annos renouandũ, aut ad tertiam, vel aliam generationem, seu nominationem sub quibuscunque annuis etiam solum honorarijs pensionibus quibuscunque nominibus nuncupentur, & sub quibusuis caducitatis, & commissi pactis, & conditionibus teneantur, & recognoscãtur, ac in posterum tenebuntur, & recognoscentur cuiuscunq; quantitatis, & qualitatis existant propter pensionem, seu Canonem non solutum in cõmissum non cadant, nec ad Dominos directos deuoluantur, nec cadere, aut deuolui intelligantur. Et quod propterea Domini vtiles bonorum huiusmodi, aut ius, vel causam ab eis habentes à dictis bonis per dominos directos, vel ad eorum instantiam amoueri, vel expelli, aut alias in, & super bonis huiusmodi quouis modo molestari non possint, sed loco caducitatis, ratione non solutionis, pensionis, seu Canonis huiusmodi, ad solutionem dupli eius quod antea pro pensione soluebant singulis annis ex tunc de cętero perpetuo si duplicata pensio huiusmodi medietatem fructuum, reddituum, & prouentuum bonorum deuolutorum huiusmodi non excedat. Si verò deducta duplicata pensione prædicta medietas fructuum, redditum, & prouentuum bonorum huiusmodi integra pro ipso vtili domino non remaneat, ea vice dumtaxat teneantur, & ad id cogi possint, statuere, & ordinare, ac alias in pręmissis opportunè prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur rixis, litibus, iniurijs, inimicitijs, odijs, & rancoribus, ac alijs scandalis prædictis obuiare volentes, ac ipsorum prædecessorum vestigijs in aliqua parte inhærentes, necnon quorumcunq; instrumentorum, & aliarum scripturarum super præmissis feudis, liuellis, censibus, emphiteotesibus, & alijs titulis prædictis hactenus confectorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur pro expressis habentes, ipsosque Vexilliferum, Antianos, & Tribunos, ac Quadraginta Viros, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dũtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati quod de cætero perpetuis futuris temporibus bona stabilia tam rustica, quam Vrbana quocunque nomine nuncupentur, quæ per Societates, Confraternitates, Collegia, & particulares personas, ac alios quoscunq; ciuitatis, comitatus, districtus, & Territorij Bonon. necnon vniuersitates Castrorum, & Terrarum huiusmodi à quibuscũque Archiepiscopis, & Episcopis, ac Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, & Præpositis alijsque Monasteriorum, & locorum regularium, ac ecclesiarum secularium Prælatis, conuentibus, & capitulis, ac quibusuis alijs personis ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus etiam extra Bonon. ciuitatem, comitatum, districtũ, & territorium huiusmodi existentibus in feudum, liuellum, censum, emphiteosim, ac quoscunque alios tam apparentes, quam à iure præsumptos titulos quibuscunque nominibus censeantur, & quamcunque naturam sortiantur in perpetuum,

ſeu vltra nouennium, & de vigintinouem annis in vigintinouem annos renouandum, aut ad tertiam, vel aliam generationem, ſeu nominationem ſub quibuſcunque annuis etiam ſolum honorarijs penſionibus quibuſcunque nominibus nũcupentur, & ſub quibuſcunque caducitatis, & commiſſi pactis, & conditionibus teneantur, & recognoſcantur, ac in poſterum tenebũtur, & recognoſcentur, dummodo bona ipſa intra ciuitatem, comitatum, diſtrictum, & territorium Bonon. huiuſmodi conſiſtant quantitatis, & qualitatis cuiuſcunque exiſtant propter penſionem, ſeu canonem non ſolutum in commiſſum non cadant, nec ad dominos directos deuoluantur, nec cadere, aut deuolui intelligantur. Quodque propterea domini vtiles bonorum huiuſmodi, aut ius, vel cauſam ab eis habentes à dictis bonis per dominos directos, vel ad eorum inſtantiam amoueri, vel expelli, aut alias in, & ſuper bonis huiuſmodi quouis modo moleſtari non poſſint. Sed loco caducitatis ratione non ſolutionis, penſionis, ſeu Canonis huiuſmodi ad ſolutionem dupli eius quod antea pro penſione ſoluebant, ſingulis annis ex tunc deinceps perpetuo ſi duplicata penſio huiuſmodi medietatem fructuum, reddituum, & prouentuum bonorum deuolutorum huiuſmodi non excedat. Si vero deducta duplicata penſione præfata medietas fructuum, reddituum, & prouentuum bonorum huiuſmodi integra pro ipſo vtili domino non remaneat, pro ea vice dumtaxat teneãtur, & ad id cogi poſſint apoſtolica auctoritate tenore præſentium ex certa ſcientia Statuimus, & ordinamus, ac præſentes literas ad probationem præmiſſorum omnium, & ſingulorum, ita vt nulla alia probatio in contrarium admitti poſſit ſufficere, nec ad ea alterius probationis adminiculum requiri, ac ipſas literas de ſurreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu notari non poſſe, ſed validas ſemper, & efficaces fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & ab omnibus quacunque dignitate eccleſiaſtica, etiã Cardinalatus honore fulgentibus inuiolabiliter obſeruari. Sicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque Iudices, & commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, eorumque Collegium, ac cauſarum palatij apoſtolici Auditores in quauis cauſa, & inſtantia ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Quocirca dilectis filijs, noſtro, & apoſtolicæ Sedis in eadem ciuitate Legato, vel eius Vicelegato, aut ipſius ciuitatis Gubernatori pro tempore exiſtenti per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quotiens pro parte eorundem Vexilliferi, & Antianorum, ac Tribunorum, & Quadraginta Virorum, ſeu aliorum in præmiſſis intereſſe habentium deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra Vexilliferum, & Antianos, ac Tribunos, & Quadraginta Viros, ſeu alios in præmiſſis intereſſe habentes præfatos ſtatuto, & ordinatione, ac decreto noſtris prædictis, ac præſentibus literis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos deſuper per quoſcunque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis cõſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum locorum prædictorum, ac ordinum, quorum illa extiterint etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon quibuſuis iuramentis in quibuſcunque inſtrumentis, ſeu alijs ſcripturis ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo pro tempore factis, præſtitis, & in poſterum præſtandis, quæ ad effectum præſentium eiſdem dominis vtilibus relaxamus, ac relaxata, fore, & eſſe decernimus, ac quibuſcunque renunciationibus ſtatuti, & ordinationis, ac decreti prædictorum in poſterum quouis modo tacitè,

vel

vel expresse faciendis contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus cõmuniter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari nõ possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; Volumus autem, & apostolica auctoritate prædicta decernimus, quod postquam semel ratione non solutionis Canonis, seu pensionis huiusmodi ex pacto, vel conuentione, seu iuris dispositione caducitati locus factus fuerit, ac propterea ad duplicatum canonem, seu pensionem obligatio successerit, si denuo Societates, Confraternitates, aut Collegia, vel particulares personæ, seu Vniuersitates huiusmodi in solutione canonis, vel pensionis huiusmodi defecerint, sicque secundo loco in caducitatem inciderint bona ipsa ad ecclesias, & loca prædicta iuxta pacta, & cõuentiones, ac iuris dispositionem huiusmodi omnino reuertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, statuti, ordinationis, mandati, relaxationis, voluntatis, & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctũ Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimonono, quarto decimo Kalen. Augusti, Pontificatus nostri Anno quintodecimo.

Intra Plicam, Io. Vinc. Dulcius.

Extra plicam, Barengus.

*Registrata in Camera Apostolica.*

## SENATVSCONSVLTVM SVPER NECESSARIIS REQVISITIS in obtinenda ciuilitate, quæ prosit forensibus, & comitatinis, seu fumantibus ad impositiones, & onera non soluenda.

Die Veneris 8. Aprilis 1541.

Congregatis Mag.cis, & Illust. Dominis Quadraginta Reformatoribus Status Libertatis Ciuitatis Bononiæ in Camera Reuerendissimi D. Vicelegati in eius præsentia, ac de ipsius consensu, & voluntate inter eos infrascripta partita posita, & obtenta fuerunt.

Item, quoniam neque decet, neque æquum est, eos quibuscunq; Ciuitatis ius communicatum fuerit, quique in cæterorum Ciuium numerum priuilegijs recepti fuerint, si agros, & prædia, vel vrbana, vel rustica possideant in Vrbe, vel agro Bonon. sine vllo ciuitatis commodo, ciuilibus immunitatibus, aut remissionibus abuti, & eos plerunque pro ciuibus haberi, qui perpetuò cum coniugibus, liberisq. suis, ac reliqua familia alibi domicilium habeant, ipsam verò Bonon. Vrbem cum laribus, & pœnatibus suis non dignentur nihilo tamen minus ciuilium commodorum se participes esse postulent; Per hoc S.C. factum per Fabas albas omnes 24. cautum esto, ne imposterum quisquam, qui vel vrbana, vel rustica prædia in Vrbe, vel agro Bonon. possideat, eiq; Ciuitas, quo iure, quavè forma data fuerit, etiam si priuilegium præscriptum, & donatæ Ciuitatis memoria publicis tabulis fuerit consignata se pro Ciue gerere possit, aut Ciuis ius vlla ex parte consecutus intelligatur, nisi domicilium suum Bononiam transportauerit, & in hac ipsa vrbe perpetuæ habitationis suæ sedem cõstituerit. Huic legi, qui nõ aquieuerit, cum agros, vti ante dictum est, siue prædia possideat nihilo meliore iure esto, aut plus ex ciuitatis datione capito commodi, quam si omnino ciuis creatus nunquã fuisset, neq; vtiq. ciuis, sed peregrini loco cẽsetor. Huius S.C. vis firma, perpetua, sancta esto.

BREVE SANCTISSIMI D. N. D. PAVLI PAPÆ III.
Confirmatorium, & dispositiuum supradicti S.C. & dependentium.

*Dilectis filijs Quadraginta Viris Reformatoribus Status Libertatis Ciuitatis nostra Bononia.*

# PAVLVS PAPA III.

Dilecti filij salutem,& Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis quod cum nonnulli incolæ Comitatus, Guardiæ, & Districtus Ciuitatis nostræ Bonon. & forenses,qui sub ea suggestione,& narratione, quod ad habitandum in dicta ciuitate cum eorum familijs venire,& in ea more aliorum ciuium ciuiliter viuere intendebant se ciues dictæ ciuitatis creari,& quibus oneribus, impositionibus, grauaminibus, & collectis per incolas dicti comitatus,ac districtus,& forenses in comitatu,& districtu huiusmodi degentes respectiuè solui solitis, eximi, & liberari, & eis,quod omnibus,& singulis priuilegijs, exemptionibus,immunitatibus, libertatibus, & fauoribus, quibus alij ipsius ciuitatis ciues gaudebant, frui, & gauderi possent, concedi obtinuerunt licet in dicta ciuitate non habitarent, sed alibi, ac quidam ex eis etiã extra comitatum eiusdem ciuitatis domicilium haberent pro ciuibus ipsius ciuitatis haberi,ac priuilegijs,exemptionibus,immunitatibus,ac fauoribus prædictis gaudere vellent. Ad hunc abusum tollendum, & desuper salubriter prouidendum in præsentia, ac de consensu, voluntate, & cum auctoritate tunc apostolicę Sedis in dicta ciuitate Legati, seu eius Vicelegati, vel Gubernatoris per partitum legitimè obtentum statuistis, & ordinastis,quod nullus prædictæ ciuitatis creatus pro ipsius ciuitatis ciue se gerere,& priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, & fauoribus huiusmodi gaudere,aut aliquod commodum ex creatione ipsa, & donatione ciuitatis consequi posset, nisi ad habitandum in dicta ciuitate veniret,& in ea domicilium haberet, prout in partito,& ordinatione prædictis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut dicitur eadem dispositio subiungebat ciues creati prædicti obtentu creationis, & concessionis huiusmodi,& nonnulli alij etiam forenses bona in dicta ciuitate,aut illius comitatu possidentes sub prætextu,quod eorum prædecessores ex prædicta ciuitate oriundi fuerint,liceat ipsi in ea non habitent,sed alibi domicilium habeant priuilegijs,exemptionibus,immunitatibus, libertatibus, & fauoribus, quibus veri dictæ ciuitatis ciues vtuntur, & gaudent,vti,& gaudere,& se à solutionibus,& prȩstationibus collectarum,impositionum, & aliorum onerum ad quæ cæteri,qui ciuitatis prædictæ ciues non sunt, & in ea, aut illius Territorio,vel comitatu bona possidēt,iuxta statutorum, & prouisionum, taxarum dictæ ciuitatis ordinem,& tenorem,ac consuetudinem ipsius ciuitatis tenentur se subtrahere nitantur,& cum cæteris prædictis in solutionibus,& præstationibus huiusmodi contribuere recusent in maximum eiusdem ciuitatis damnum, & illius cameræ introituum diminutionem, Nobis humiliter supplicari fecistis,vt partito,statutis,ac prouisionibus taxarum prædictis pro illorum subsistentia firmiori apostolicæ firmitatis robur adijcere,ac quod tam ciues creati huiusmodi, & in futurum quomodolibet creãdi, quã illi, quorum prædecessores ex dicta ciuitate oriundi fuerũt ad solutionem,& præstationem collectarum, impositionum,& onerum huiusmodi teneantur, aliasq. in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui sicut vnumquemque in suo iure pro iustitia præseruamus, ita etiam ne aliqui priuilegijs eis concessis in aliorum præiudicium abutantur, aut cum aliorum iactura locupletentur sic æquitate suadente,& iustitia, libenter efficimus,præsertim cum id subditorum nostrorum sincera deuotio exposcit, Statuti, Ordinationis, ac Prouisionum huiusmodi tenores

tes

res præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati Statutum, Ordinarionem, ac Prouiſiones prædicta auctoritate apoſtolica ex certa ſcientia approbamus, & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, & firmiter, ac inuiolabiliter obſeruari volumus, & mandamus, ſupplentes omnes, & quoſcunque tam iuris, quam facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem. Volumuſque & eadem auctoritate, ac ex certa ſcientia ſtatuimus, & ordinamus, quod ciues creati prædicti, & in poſterum quomodolibet creandi, & illi quorum prædeceſſores ex dicta ciuitate oriundi fuerunt, vt præfertur, quorum omnium nomina, & cognomina, ac conceſſionem, & creationum huiuſmodi tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, niſi prout Statutum, Decretum, & Prouiſiones taxarum huiuſmodi requirunt ad habitandum in dicta ciuitate venerint, & in ea continuè cum eorum familijs, prout alij ciues ipſius ciuitatis habitauerint, & domicilium habuerint, pro ciuibus eiuſdem ciuitatis haberi, & priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, & fauoribus prædictis frui, & gaudere non poſſint, ſed ad ſolutionem, & præſtationem collectarum, impoſitionum, onerum, angariarum, & grauaminum quorumcumque realium, perſonalium, & mixtorum, prout alij forenſes, & fumantes reſpectiue non creati ciues, & non exempti iuxta prouiſiones, & ſtatuta huiuſmodi tenentur, & tenebuntur, teneantur, & tam per communitatem Bonon quam etiam per vniuerſitates in quarum iuriſdictione, & commune habẽt, vel habebunt eorum bona grauari poſſint, & debeant realiter, & cum effectu, & ad id cogi, & compelli poſſint, appellatione etiam remota, vel alia iuris, & facti exceptione ceſſante, etiam ſi denuntiationes in prouiſionibus prædictis memoratæ non fiant, ſeu factæ non fuerint, & forma in illis facienda iamdiù abolita, ſeruata non reperiantur, ſicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque iudices, & commiſſarios quacunque auctoritate, & dignitate fungentes etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & ſacri Palatij Auditores, ac præfatæ ſedis Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & innane, ſi ſecus ſuper his à quoquã quauis auctoritate ſciẽter, vel ignoranter cõtigerit attentari decernimus. Mandantes moderno, & pro tempore exiſtenti in dicta ciuitate eiuſdem ſedis Legato, eiuſque Vicelegato, quatenus præſentes, & in eis contenta quæcunque inuiolabiliter obſeruari mandent, & faciant; non permittentes aliquid in contrarium attentari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras etiam eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas, & applicandas pœnas, cæteraſq. opportuna remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, adhibito etiam ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis ciuium creationibus etiam per nos, ſeu prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, aut Sedem eandem, vel illius Legatos, aut quoſcunque alios ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis etiam derogatorijs factis, priuilegijs quoque indultis, & literis apoſtolicis præfatis ciuibus creatis, vel quibuſvis alijs quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, cæteriſq. contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 15. Decembris 1545. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

*Blo. El. Fulgin.*

# PROVISIONE SOPRA LI FVMANTI, CHE INTENDONO acquistar le ciuiltà, & esser leuati dall'estimo, e grauezze rusticali.

Acciochè la prouigione, & ordine altre volte, e dell'Anno 1580. fatto sopra le conditioni, qualità, vita, & habitatione, che si ricercano in quelli che desiderano esser leuati dall'estimo, e grauezze rusticali maggiormente riceua la debita osseruanza, e più intieramente passi à notitia di tutti gl'interessati, e per questo modo vengano consolati quelli che sentendosi spirito amico alla vita ciuile vorrebbono ritirarsi alla Città per beneficio, e commodo proprio de loro figlioli, e descendenti, & altretanto sia opportunamente prouisto alla indemnità del Contado, e de' fumanti.

Però l'Illustriss. e Reuerendiss. Monsig. Oratio Spinola Referendario Apostolico, e di questa Città di Bologna meritissimo Vicelegato, col consenso, e volontà de gl'Illustri Signori Antiani, Consoli, e Confaloniero di Giustitia, e de gl'Illustri Signori di Regimento, col presente publico Bando inherendo à dette prouigioni, e quelle in quanto bisogni renouando, reformando, & in idioma volgare publicando à maggior, e più facile intelligentia di tutti ordina, vuole, statuisce, e dichiara.

Che nell'auuenire qualunque persona deliberarà venire con li suoi beni, e famiglia ad habitar alla Città per acquistar la Ciuiltà, & Esentione, e lasciar intieramente la vita, opere, & officij rusticali, debba personalmẽte comparire dinanzi alli Signori Assonti del gouerno pro tempore esponendoli, e lasciandoli memoriale, che contenga detto suo desiderio, il quale memoriale debba cõseruarsi appresso il Notaro di detti Signori Assonti, e farsene mentione ne' suoi atti, e l'hauer habitato innanzi tal comparitione, e dichiaratione non li gioui, nè li possa esser computato nel tempo delli 25. Anni, che da basso si dirà.

Che successiuamente ogn'anno, ò al più in fine d'ogni tre anni debba appresso li atti di detto Notaro per tre testimoni degni di fede, ò per altri modi legittimi, citato ancora il Sindico pro tempore del Contado, prouar detta continua habitatione per tutto detto tempo nella Città con suoi beni, e famiglia, & hauer tenuto casa aperta, e dato opera ad vna delle 24. arti, ò alrrimenti fatto vita honesta, e ciuile, e non mai in modo alcuno in tutto detto tempo hauer essercitato opera, ouer officio rusticale di sorte alcuna, e così seguitare almeno ogni tre anni fino all intiero numero di anni 25. & altrimenti non seruata detta forma, & ordine, ogn'altra proua sia nulla, e non li suffraghi.

Che chi hauerà habitato con li beni, e famiglia per il corso di anni 25. continui nella Città dopo essersi presentato come di sopra, e tenuto casa aperta sotto suo proprio nome, & astenendosi totalmente da opere, & officij rusticali, e viuendo ciuilmente come di sopra, e lo hauerà giustificato nel modo, e ne i tempi sudetti, debba ad ogni sua requisitione dalli Signori Assonti del gouerno pro tempore per loro decreto esser leuato esso, e sua famiglia, e beni dall'estimo, e pesi rusticali, e da quelli nell'auuenire essere esenti, e quanto alle predette cose esser hauuto, trattato, e reputato come vero Cittadino.

Che chi sarà esentato, e liberato come è detto, s'intenda ancora, che nõ fusse espresso, esser fatto esente solamente per li beni suoi proprij di esso esentato, & in caso che ne hauesse in communione, ò in compagnia, ò altrimenti confusi con beni d'altri, non s'intenda tal liberatione, e sgrauamento giouare, nè operare, se non per la portione, & interesse suo; dichiarando in oltre, che se intorno à ciò commetterà fraude, ò accommodarà il suo nome ad altri, farà contratti simulati, ò in altro modo contrauerrà à questa intentione, sia, e s'intenda senz'altra dichiaratione ex nunc ipso iure priuato, e caduto d'ogni esentione, e comodo sudetto, e come se mai non hauesse habitato nella Città oltra le pene communicate dalli Statuti in materia di alienatione di beni de fumanti.

Che

Che in tale habitatione non si comprenda il tempo dello star per gargione, ò à dozina, ò come amico, ò seruitore, ò altrimenti in casa d'altri, ma solo li sia fatto buono quel tempo, nel quale hauerà tenuto casa aperta sotto suo nome proprio come è detto.

E quanto à quelli che forse fin quì haueßero veramente, e con le qualità sudette per qualche tempo habitato nella Città, e per qualche legitimo impedimento non si fossero presentati, e non fatto proue, nè dimanda, se fra 15. giorni dal dì della publicatione del presente si presentarãno à detti Signori Assonti del gouerno, allegãdo, e prouando tal causa, e facendo la loro dimanda, sarà in potestà di detti Signori Assonti vdirli, & ammetterli fra vna breue, ma competente dilatione à dette proue, e per quel solo, che riguarda il passato fino à questo dì, le quali se saranno concludenti, e legittime doueranno suffragarli in altro tempo opportuno, e le resteranno in tanto viue le loro ragioni per all'hora, pur che da hora innanzi quei tali vadano intieramente osseruando nel resto le presenti ordinationi. Ma paßati detti quindici giorni, e non esendo comparsi come è detto, non poßa più alcuno per conto del tempo paßato eßer vdito, e s'intenda hauer renunciato ad ogni sua ragione, e sia come se hoggi fuße venuto ad habitar alla Città.

Le quali prouigioni, dichiarationi, & ordini, Sua Sig. Illustriß. col consenso come di sopra, comanda, che si debbano publicare tanto nella Città, quanto nelle ville, & officij di Contado, etiamdio con affissione alle porte delle Chiese, & ogn'altro luogo opportuno, acciò venga quanto più si può à notitia di tutti, & ad ogn'altro miglior fine, & effetto. Data in Bologna alli 13. di Maggio 1597.

Horat. Spinola Vicelег.
Philipp. Fach. Vex. Iust.

*Valerius Panzach. Gab. & Taxat. Not.*

## SENATVSCONSVLTVM SVPER CIVILITATIBVS concedendis, & earum neceßarijs, ac effectibus, & priuilegijs.

Die Iouis 28. Iunij 1584.

Congregatis Mag.cis, & Illust. Dominis Quadraginta Reformatoribus Status Libertatis Ciuit. Bonon, num. xxx. in Camera Illust.mi Domini Gubernatoris in eius presentia, ac de eius consensu, & voluntate inter eos infrascriptum partitum positum, & obtentum fuit.

Item ad tollendas lites, & controuersias, quæ oriri solent tempore præsertim Sortitionis Officiorum publicorum vtilitatis Comunitatis Bononiæ, occasione priuilegiorum Ciuilitatum, Illustris Quadraginta Virorum Senatus partim inhærendo ordinibus, & Decretis veteribus, & partim prout qualitas præsentium temporum requirere videtur, illos, & illa reformando, ex auctoritate Reuer.mi, & Illust.mi D. Fabij Mirti Archiepiscopi Nazareni Bononiæ Gubernatoris leges, ordines, & distinctiones, quæ sequuntur super Ciuilitatibus in posterum concedendis per suffragia omnia xxx. sanxit, statuit, decreuit, ac perpetuo inuiolabiliter obseruan. mandauit, contrarijs non obstantibus quibuscunque, videlicet.

Primo, Ciuilitas in forma amplißima ex motu proprio Senatus cõcedatur Illust.mis, & Excell.mis Viris in dignitate constitutis pro aliquo insigni fauore, & beneficio erga hãc Patriam collato, necnon, & alijs nobilißimis viris, literis, & armis Illustribus prout ipsi Senatui videbitur; Requirat verò hæc amplißima ciuilitas omnia suffragia fauorabilia: Habilem faciat, & capacem personã huiusmodi priuilegio decoratam, præter cætera ad obtinenda officia vtilitatis, ac etiam adipiscendos Magistratus honoris Communi-

munitatis Bonon. Illique omnia,& singula iura tribuat,quæ verà,& non ficta origo tribueret propria paterna, & auita tribueret, dummodo domicilium teneat, & effectualiter habitet pro maiori parte temporis in Ciuitate Bonon. Sed antequam persona sic vt supra priuilegiata imbursetur in Officijs honoris, & vtilitatis, requiratur aliud nouum Senatusconsultum per suffragia xxx. obtinendum,quod declaret,& mandet, ipsum imbursari. Quo verò ad filios priuilegiati,si nati fuerint,& habitent Bononiæ,nullū aliud requiratur partitum ad huiusmodi imbursationem Officiorum vtilitatis, & honoris.

Ciuilitas autem in forma, quæ dicitur satis ampla, concedatur Nobilibus Viris, virtute,doctrina,& armis insignibus,& requirat suffragia xxv. Nullo modo verò habilitet ad Officia honoris,& vtilitatis personam priuilegiatam: sed filius dummodo sic natus, & habitet Bononiæ, imbursari possit in vtriusque officijs, illorumque capax efficiatur, interueniente tamen nouo Senatusconsulto obtinendo per suffragia xxvij.

Ciuilitas verò in forma communi concedi possit passim omnibus tam externis,quam in agro Bononiensi oriundis, dummodo Bonon. per decem annos continuè habitauerint, animumque perpetuò in ea habitandi habeant, prætereaque honestam,& ciuilem aliquam exerceant artem, vel alias ibidem laudabiliter vitam ducant,quo casu duæ tertiæ partes suffragiorum sufficiant ad adipiscendam huiusmodi ciuilitatē. Si verò ante huiusmodi decennalem habitationem concedenda sit, requirantur ad minus suffragia xxv. Nullo verò pacto habilem reddat ad obtinenda officia publica vtilitatis,& honoris personam priuilegiatam, nec filios,etiam si nati fuissent Bonon. Priuilegiati verò nepos ex filio, si ipse & pater nati fuerint Bonon. imbursari possit, & obtinere dicta officia, ita vt ad obtinenda officia publica vtilitates, & honoris Comunitatis Bononiæ requirantur omninò tres veræ origines, vel etiam tres in his computata persona priuilegiata, non possit autem ipsamet persona priuilegiata in forma communi fieri capax, & habilis ad ingrediendum in cōsilia artium societatum Bonon. nec ad dictarum artium honores,& officia adipiscenda, nisi pręter Senatusconsultum ciuilitatis, ponatur,& obtineatur aliud nouum partitum obtinendum per suffragia xxvij. pro huiusmodi habilitatione. Vigore autem ciuilitatis in forma communi nemo intelligatur exemptus ab æstimo, siue oneribus rusticalibus tam pro bonis aquisitis ante, quam post ciuilitatem aquirendis, iuxta formam Decreti, alias de anno 1581. 29. Augusti facti, donec per vigintiquinque annos habitauerit Bonon. iuxta formam Decreti facti de anno 1574. 14. Decembris. Ad hanc verò xxv. annorum dispensationem, si minus decem annis Bononiæ habitauerit, requirantur suffragia omnia fauorabilia: ab inde verò supra requirantur suffragia fauorabilia ad minus xxvij. In suo robore permanentibus Decretis supra nominatis, ac etiam alio Decreto, alias de anno 1516. 29. Octobris facto, quatenus huic præsenti non aduersentur. Si verò contingat aliquem ex huiusmodi priuilegio ciuem factum absentem ab hac vrbe manere per trienniuum continuum, nec Bononiæ domum apertam tenere, nec in ea effectualiter habitare, tunc & eo casu ciuilitatem amittat,& si in comitatu Bononiæ habitauerit, habeatur,& tractetur tamquam fumans. Cum verò ciuilitas in aliqua dictarum trium formarum concessa fuerit, nullo pacto propter quæcunque verba, & clausulas etiam derogatorias quantumuis amplas, & prægnantes, quæ fortè in priuilegijs dictarum ciuilitatum insererentur, possit forma ipsius ciuilitatis alterari, nec ordines, & Decreta ipsarum ciuilitatum intelligantur alterata, ità vt qui obtinuerit ciuilitatem in forma communi, non possit propter verba priuilegij excedere limites, & ordines formæ communi præscriptos, sed illis subiacere teneatur,& ita de forma satis ampla,& amplissima dictum intelligantur. Statuto autem perpetuò firmum sit, priuilegia ciuilitatum in quacunque trium formarum supradictarum concessa,& cum quibusuis verbis,& clausulis concepta nulli suffragari debere, qui domicilium firmum Bononiæ non teneat, & in ea effectualiter non habitet, iuxta

teno-



tenorem Senatusconsulti facti sub die 8. Aprilis 1541. confirmati per Breuē Apostolicum fel. mem. Papæ Pauli Tertij sub Dat. die 15. Decembris 1545. Ita vt ciuilitates omnes concessæ nequaquam suffragentur, nisi quatenus verè, & realiter Bononiæ incolant, tametsi in priuilegijs ipsarum ciuilitatum omitteretur scribi huiusmodi conditio, & clausula. Supradicti verò ordines, leges, & Decreta locum habeant in ciuilitatibus tantum concedendis, non autem in ciuilitatibus antea concessis, si modo illos, quibus concessæ fuerunt, hucusque Bononiæ habitasse constabit; Alias eos nullo pacto iuuet ante præsentes Decretum obtinuisse ciuilitates, sed præsenti Decreto, & Ordinibus etiam ipsi subiacere debeant, & teneantur.